GUIDI ANGELI
POGGII
I. C.

CASSIANENSIS AD VITIM

ELEMENTA
IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER QUARTUS

Custode rerum CAESARE, *non furor*
Civilis, non vis eximet otium.
Horat.

FLORENTIAE M. DCCC. XVIII.

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI DADDII
in vico omnium Sanctorum
Superiorum permissu.
Prostant apud Franciscum Alexandri

Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit; neque enim assequi potest, ut quod est factum sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exemplo ejus adductus delinquat.

Plat. Protagor.

. . . . Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest . . . .

Claudian. de Consulat. Mall.

TABULA CAPITUM LIBRI IV.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 25 lin	27. *nascuutur*	*nascuntur*
26	22 quae	quae
46.	15. *ct*	*et*
74.	2. amoveut	amovent
78.	20. signnm	signum
99.	2. habitлm	habitam
100.	13. obsolverat	obsoleverat
ivi	14. draeter	praeter
102.	31. eadat	cadat
112.	9. statnlam	statutam

Siquid aliud irrepserit, sapiens Lector emendabit.

ELEMENTA
IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER IV.

De delictis, quae ad Civium fortunas referuntur.

§. I. Simul cum vita, quidquid ad illam sustinendam necessarium fuerat, Naturae Supremus Auctor humano generi communiter largitus est, sicut animantibus caeteris. Verum non utique diu promiscuus hic rerum usus inter Homines perstitit; quod quidem tribuendum potissimum et auctae eorum multitudini, ut jam sine industria, cultura, et labore non sufficerent singulis, et jucundioris, tranquilliorisque vitae cupiditati, quam silvestris (1), nec pariter tranquillae (2) per-

(1) Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis,
Et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.
. . . . domus antra fuerunt,
Et densi frutices, et vinctae cortice virgae.
Ovid. lib. 1. Metam.

(2) Avvenne poi, che desiando porre

taesi, Natura ipsa duce, sibi comparandam curabant (3): Primaeva igitur communio statim recessit, ut singuli Homines provida cura parare quae ad sui conservationem spectabant, Natura suadente, instituerunt, et alios proinde excludere (4). Hinc porro origo dominii; quo inducto, ne quis jure illo occupandi, quod primum late viguerat, abuteretur vel minimum, coetus Hominum simul sociari, et Legibus regi ipsa pariter Natura suasit (5): Quapropter „ detrahere aliquid „ alteri, et Hominem Hominis incommodo „ suum augere commodum „ contra Naturam esse, convictum humanum, et societatem tollere *Cicero* dixit (6).

II. Huc itaque delicta pertinent, quae in

Due sul frutto vicin l' adunca mano,
L' uno all' altro tentar la preda torre:
E quindi accesi di furore insano
Coll' unghie pria si laceraro il volto ec.
Metastas.

(3) *Heinecc. ad Grot. de jur. bell., et pac. lib.* 2. *cap.* 2. §. 2.

(4) *Lampred. Iur. publ. universal. part.* I. *cap.* 8. §. 2.

(5) Vid. *Cic. in somn. Scipion. cap.* 3.

(6) *De offic. lib.* 3. *cap.* 5., qui aequationem caeteroquin bonorum pestem Reipublicae vocat *lib.* 2. *cap.* 21.: Atque hoc idem dicendum existimo de simili industriae, et culturae fructuum, qui in unum conferti fuerint, aequatione; Vid. *Aristot. de Republ. lib.* 2. *cap.* 5.

hac nostri operis parte aggredimur persequi, furta videlicet, et aliud quodcunque maleficium, aut fraus, qua detrimentum affertur fortunis Civium, aut Reipublicae, cujus ipsi sunt membra. Furtum, quod a fraude *Sabinus*, a furvo *Labeo*, et *Varro* derivatum ajunt, rectius tamen *Gellius* (7) a veteri graeco vocabulo φῶρ (graece enim φέρω, ex quo φῶρ eundem et apud Latinos perhibet sonum, et sensum, fero, scilicet, atque hinc aufero) sic definitur a *Paulo* „ contrectatio „ rei fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere „ (8). Luculenter tamen, et clarius alii, *Glossae* verbis adjunctis, definiunt furtum, quos inter *Boehmerus*, videlicet „ dolosa rei alienae mobilis, invito Domino, lucrifaciendi animo facta contrectatio „ (9): Hic simul cum illis reliqua Paulianae definitionis verba omittit; cur autem, infra videbimus. Monuisse interim juverit ideo contrectationis nomen usurpasse Iurisconsultum, ut aeque furtum, quod proprium, et quod minus proprium hodie dicimus, comprehenderet, quae distinctio Romanis ignota

(7) *Noc. t. Attic. lib.* 1. *cap.* 18.
(8) *In leg.* 1. *ff. de furtis*.
(9) *Element. jurisprud. crimin. sect.* 2. *cap.* 13. §. 159. ; Vid. *Creman. de jur. crim. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 1. §. 1., *Renazz. elem. jur. crim. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 11. §. 1. *n.* 3.

fuerat, apud quos furtum quodcunque simplex actione privata, non ut apud Nos, vindicabatur (10); Nos enim proprium furtum, simplex utcunque, ad publicorum criminum classem constanter ascripsimus.

III. Furtum apud Romanos in manifestum, et nec manifestum dividebatur, in conceptum, oblatum, prohibitum, et non exhibitum: Manifestum, cum quis in ipso furto, aut eo in loco, ubi furtum admiserat, deprehensus fuisset, aut etiam alibi, rem adhuc furtivam retinens, et antequam quo destinaverat deposuisset: His deficientibus, actio furti nec manifesti obtinebat, quod plectebatur duplo; manifestum quadruplo (11): Conceptum, et quidem per lancem, et licium, quod manifesti naturam prae se ferebat (12), cum quis furtivam rem quaerens „ in domo a-„ liena (sic *Festus*) licio cinctus intrabat, „ lancemque ante oculos tenebat propter

(10) *Leg. interdum fur §. qui furem, leg. meminisse ff. de furtis, Boehmer. d. cap.* 13. §. 169.

(11) Quae poena furtum passo cedebat, major pro manifesto furto in ipsius vigilantiae praemium *Cujac. observat. lib.* 12. *cap.* 12., *Carpzov. pract. crim. quaest.* 77. *n.* 4.

(12) Eadem scilicet poena plectebatur ex XII. Tabul. Leg. apud *Gravin. de orig. jur. lib.* 2. *cap.* 49. „ Si furtum lance, licioque conce-„ ptum escit, atque uti manifestum vindi-„ cator „ .

„ Matrumfamilias , aut Virginum praesen-
„ tiam „ (13); nudum autem intrasse ait *Scaliger* (14), ne aliquid inferre posset, ex quo postea Dominum domus falso accusaret (15): Oblatum, cum res furtiva alicui oblata fuisset, apud quem deinde concepta: Prohibitum, cum rem furtivam volenti quaerere, adhibitis testibus, prohibebatur: Denique non exhibitum, cum is, penes quem ipsa furtiva res quaesita, et inventa fuerat, eam non exhibuisset (16). Verum, si manifestum, et nec manifestum excipias, reliquae allatae divisiones, quae species potius actionis fuerant, quam furti genus, jam *Iustiniani* tempore, ut ipse testatur, abierant in desuetudinem; quemadmodum nec altera prior obtinet hodie, manifesti, scilicet, furti, et non manifesti.

IV. Nunc itaque acturi de hoc crimine sic dividendum duximus, ut illud primo insequamur, quod furtum simplex dicimus, et, quatenus delictum publicum, a furto minus proprio differt; minus proprium postea, quod etiam offucia dicitur (17); caetera deinde

(13) *De verbor. significat. lib.* 10.

(14) Hoc idem docet *Plato dialog.* 12. *de Legibus* .

(15) Haec formulae interpretatio num recta reapse sit, non satis certum est, ut observat *Gravin. loc. cit.*

(16) §. *Furtorum autem , et seq. instit. de obligationibus , quae ex delicto nascuntur.*

(17) Ita *Paolett. instit. crimin. lib.* 6. *tit.* 3.

furta, quae ex qualitate graviora merito quidem considerantur, quorum nonnulla ratione vel rei, quae aufertur, vel modi, vel loci, ex quo surripitur, diversa nomina sortita fuerunt, cujusmodi sunt peculatus, abigeatus, rapina, grassatio (18); postremo reliqua maleficia, et fraudes, quibus aeque Civium fortunis detrimentum affertur, falsitatem videlicet, stellionatum, sordidum foenus, incendium, et aliud quodcunque damnum.

CAPUT I.

De furto simplici.

V. Simplex dicitur furtum, cui praeter ea, a quibus furti natura constituitur, nec vis, nec aliud hujusmodi atrocius accedit, quod delicti magnitudinem exaggeret (1). In eo autem proprium a minus proprio differt, quod in altero aliena res mobilis ad lucrum faciendum a fure surripitur; in altero res ipsa mobilis haud Domino invito ad eum pervenit, qui illam fraudulenter ad sui utilitatem, et lucrum convertit, aut distrahit (2); mobilis quidem; in res enim immo-

(18) De latrocinio dictum est superiore libro cap. II.

(1) Ita *Creman. d. artic.* 1. §. 16.

(2) *Leg. si is, qui pignori ff. de furtis, leg. si*

biles nec proprii, nec minus proprii furti actio obtinet (3), ideoque non istae surripi, sed invadi dicuntur, quo pertinet actio de vi (4): Porro proprium furtum statim commissum dicimus, ut res amota fuerit, licet ob qualecunque impedimentum non adhuc fur eam transtulerit quo destinaverat; caeterum vero solam furti cogitationem furem, ut *Paulus* ait, non facere satis compertum est (5).

VI. Nec autem propterea furis notam, ideoque conatus poenam evadere eum posse credimus, qui, ut furtum faceret, conclave clandestinus intraverit, etsi tempestive deprehensus nihil adhuc auferre, aut amovere potuerit: Iandiu a Foro recessit *Ulpiani* sententia, qui hujusmodi ingressum aut injuriarum actione, aut de vi, si vis adhibita fuerit, vindicandum scribit (6), dum interim alibi ipse idem Iurisconsultus plus, quam fures, plecti vult eos, qui in coenacula aliena se dirigunt furandi animo, directarii pro-

servum Cod. eod., *Scannarol. de visit. carcer. lib.* 1. §. 13. *cap.* 3.

(3) §. *abolita instit. de usucapionibus*, licet aliter inter veteres Iurisconsultos sensisset *Sabinus Gell. noct. attic. lib.* 11. *cap.* 18.

(4) §. *quia tamen in fin. instit. de vi bonorum raptorum;* Vid. *leg. verum est, quod plerique ff. de furtis*.

(5) *In d. leg.* 1. *ff. eod.*

(6) *In leg. vulgaris* §. *qui furti ff. eod.*

inde dicti (7): Et quamvis aliis forsan ex causis Romana superstitio in ejusmodi reos gravius animadvertendum edixerit, ob magicae scilicet artis suspicionem, ita quidem, ut quemlibet in locum quomodocunque obseratum se inferre latenter possent, non secus ac si *Gygis* gestassent anulum, ut notat *Matthaeus* (8), vel potius ob Penatium contemptum, et irreverentiam, ad quos penetralium tutela pertinebat praecipue (9); satis tamen hinc intelligimus non ut injuriam, sed ut atrociorem furandi conatum id generis ausa Romanum Jús plectenda sanxisse. Verum, his etiam omissis, prima ipsa criminalis jurisprudentiae elementa Nos edocent voluntatem peccandi ad actus externos perductam conatus titulo puniendam esse, plus quidem, aut minus pro eorum majori, aut minori proximitate, utcunque mitius, quam scelere jam perpetrato (10); atque hisce principiis cultiores Pragmatici adhaeserunt jamdudum (11): Neque aliud fortasse ex altera *Ulpiani* sententia conjici potest, quam exigua Romanorum tunc temporis sollicitu-

(7) *In leg. saccularii ff. de extraordinariis criminibus*.
(8) *Ad lib. 47. ff. tit. 11. cap. 1. n. 4.*
(9) *Servin legislat. crimin. lib. 1. cap. 5. artic. 2. §. 1.*
(10) Vid. *lib. 1. cap. 1. §. 25.*
(11) *Cortiad. decis. 106. n. 83., Sabell. in summ. §. furtum n. 8.*, et alii.

do de furti simplicis reis, ut egregius notavit nostri temporis Iudex in *Pisana contra Basilium sub anno* 1780.

VII. Nil porro interest, parvi ne, an multi momenti ablata res fuerit, ideoque simplicis furti aeque reus est, qui massam auri, et qui alienam gallinam subtraxit (12); quin etiam nec ipsa furti iteratio id efficit, ut simplicis amittat naturam (13), quoties qualitates caeteroquin absint, quae crimen adaugent: Hoc tamen non sic accipiendum, ut pari plectatur poena qui parum, et qui multum abstulit, idque insuper non semel, sed saepius, quam Stoicorum doctrinam alibi jam propugnavimus (14); quantitas enim delicti non minus ex delinquentis malitia, quam ex societatis detrimento potissimum est dimetienda: In eum, qui pluries furatus est, pravitas profecto major arguitur, quemadmodum societati majus attulit damnum, qui res magni pretii, quam qui pullum surripuit; hic enim perpauca, ille plurima, vitiis indulgens propriis, persaepe aliena fovendo, ab utili commercio subtraxit, ideoque societati, corpori videlicet politico plus nocuit (15).

(12) §. *gallinarum instit. de rerum divisione :* Simile furtum nugandi occasionem *Sectano* tribuit in *Philodemum sat. 6. lib.* 1.
. . . . dictare libellum
Protinus aggreditur pulli Patronus abacti.,
(13) *Cod. Leopold.* §. 74.
(14) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 21.
(15) Non desunt qui etiam ex ejus, cui res ab.

VIII. Ita pariter aeque simplex hodie dicimus furtum seu noctu, seu diu commissum fuerit, quod secus apud Romanos (16): Cum fures tenebras ament, vix raro caeteroquin simplicis furti actio obtineret (17): Non cir-

lata, conditione quantitatem delicti, furti videlicet simplicis, de quo nunc agimus, metiendam existimant *Farinac. quaest.* 165. *n.* 19., *Bonifac. de furtis* §. *final. n.* 56.; Vid. *Filanger. scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 54, cui quidem sententiae ad civiles effectus quod attinet adhaerendum non dubito: Caeterum, etsi furtivae rei pretium ad poenam proportione arithmetica supputare non liceat, generaliter tamen receptum videmus, ut gravius animadvertatur in eos, qui plus abstulerunt, quidquid aliter scripserit *Plato*, ut Philosophus, in *dialog.* 9. *de Legibus*; poenae enim ratio ex majori Corporis politici damno id non raro praestare potest, ut furis aviditas contineatur.

(16) *Leg.* 1. *ff. de furibus balneariis*, *leg.* 2 *ff. de effractoribus*, *et expilatoribus*; Vid. *Gell. loc. cit.*

(17) Vid *Matth. d. lib.* 47. *ff. tit.* 1. *cap* 3. *n.* 7. Furtum nocturnum, etsi majus odium prae se ferat quodammodo, cum tenebrae timorem augeant, non pari idcirco mensura puniendum videtur, ut caetera, de quibus in posterum dicendum erit, quoties nulla adhibita vi patratum fuerit; ita quidem *Filanger. d. cap.* 54. *n.* 4. „ Colui,
„ che ha rubato nel giorno, e colui, che ha
„ rubato nella notte, se nè l'uno, nè l'altro
„ ha unita la violenza al furto, hanno violato

cumstantia quaelibet; ex qua turpius quodammodo crimen apparet, furi imputanda, sed quae Legibus hodie vigentibus statuta speciatim fuerit; Romana siquidem jurisprudentia hac de re plures ad nostra usque tempora perpessa est vicissitudines.

IX. Quod autem de tempore, hoc idem de loco dicendum, ex quo res surripitur, ideoque, ubi qualitas invisa Legibus absit, aeque simplex consideratur furtum, sive ex domibus, sive ex mapalibus, hortis, aut agris res auferantur: Qui tamen alienum quid jacens ignarus Domini sustulit, ut suum faceret, minus deliquisse videtur; quapropter moribus nostris hoc furtum quinquennio praescribitur (18): Publicum tamen delictum est, et proprii furti naturam prae se fert quodammodo; qui enim alienam rem tollit, ut sibi adjudicet, hanc cum primo ipso momento contrectasse Domino invito fatendum est,

„ l' istesso patto, ed hanno potuto mostrare l' „ istessa malvagità nel violarlo: La distinzione „ adunque fra il furto diurno, ed il furto not„ turno sarà assurda „

(18) *Paolett. instit. crim. lib.* 4. *tit* 1. §. 11., ubi criminale Iudicium nequaquam in eos institui posse decisum ait, qui scienter inventas res emerint; cui tamen sententiae non equidem subscribendum existimo, aliterque decisum legimus postea; quomodo enim dolo vacuus is dici potest, qui sciens emit rem a non Domino, et malae fidei possessore?

licet quis ille sit ignoret: Secus autem, si Dominus pro derelicto rem habuit, aut habuisse probabilitate magna crediderit qui eam sustulit (19): Secus pariter, si eo animo sustulit, ut Domino redderet, et, illo adhuc ignoto, exhibuit Curiae (20), non sine jure impensas repetendi, siquas idcirco fecerit.

X. Simili modo qui ex haereditate jacente aliquid sustulit, quique expilator dicitur, proprii, et itidem simplicis furti reus consideratur, ubi titulo quocunque careat: Furtum non fieri, nisi sit, cui fiat, scripsit *Ulpianus* (21); hoc tamen intelligendum de rebus aut nullius, aut extra commercium (22), non item de iis, quae et Dominum habuerunt, et denuo habebunt, nec prior Domi-

(19) *Leg. falsus creditor §. qui alienum ff. de furtis* „ Quod si Dominus id dereliquit, fur- „ tum non fit ejus, etiamsi ego animum furan- „ di habuero . . . . . sed, et si non fuit de- „ relictum, putavit tamen derelictum, furti „ non tenetur „.

(20) *Iuxta leg. 9. Septembr.* 1681. §. 13., quae omissionem plecti vult arbitrio Iudicis, pecuniaria videlicet multa. Inventores Thesauri hodie illum dividunt cum Domino fundi ex *Leg. 5. August.* 1780, Fisci jure sublato, quod olim ex generali consuetudine inductum fuerat; Vid. *Sabell. in Summ. §. Thesaurus n. 2.*

(21) *In d leg. falsus.*

(22) *Boehmer. d. cap.* 13. §. 166, *Paolett. d. tit.* 1. §. 8.

nus unquam pro derelicto habendas voluit; quin etiam apud Nos ministerio recentis Legis (23) quo ipse momento aut naturaliter, aut civiliter moritur, earum possessio, continua quidem, nec unquam interrupta, translata intelligitur in successorem legitimum: Quod aliter ex Romanorum Legibus nonnulli scripserunt, aliis interim contradicentibus (24), nominis potius quaestionem, quam rei redolet, quoties titulo quocunque, aut colore, ut diximus, careat, qui ab haereditate jacente aliquid surripit; alibi enim Ius idem Romanum improbius furtum hujusmodi expilationem appellat (25): Quae vero ab Uxore committitur, aut cohaeredibus, vel ad civile Iudicium pertinet, vel instar minus proprii furti actione privata vindicatur quandoque in cohaeredes (26); hos enim, non secus ac socios, plerumque credendum est, ut

(23) Lat. 18. *August.* 1814. *artic.* 3. *cap.* 1.

(24) *Leg.* 2. *et* 6. *ff. de crimine expilatae haereditatis*, *Matth. d. lib.* 47. *ff. tit.* 12. *cap.* 1., *Carpzov. pract. crim. quaest.* 83. *n.* 78., *Farinac. quaest.* 174. *n.* 122., *Iodoch. prax. crim. cap.* 114., *Boss. de furtis n.* 23., *Cremani. d. artic.* 1. *§.* 7.

(25) *In leg. si te Cod. ex quibus causis infamia irrogatur.*

(26) *Leg. uxor ff. de crimine expilatae haereditatis*, *leg. adversus Cod. familiae erciscundae*, *Voet. ad Pandect. lib.* 10. *tit.* 2. *n.* 40., *et lib.* 47. *tit.* 19.

ait *Ulpianus* „ jure potius suo uti, quam „ furti consilium inire „ (27).

XI. Simplex pariter furtum actione publica vindicandum illud dicimus, cum quis rem subdole potuit consequi, non quidem a Domino, sed, ipso licet invito, a familiaribus, vel ab alio custode quocunque, illam se Domino laturum simulans ex ejus mandato, dum interim sibi ad lucrum faciendum fraudulenter adjudicat: Nec autem ad ea, quae minus propria, et vindicanda ut crimen privatum diximus, hujusmodi furtum referendum videtur; quandoquidem ipso ab initio fur fraudulentus, Domino invito, rem contrectavit; quod secus, si ab ipso Domino alterius nomine rem ei tradendam consecutus fuisset; hoc enim casu, quem ex *Labeone* tradit *Ulpianus* (28), minus proprii fur-

(27) *In leg. merito ff. pro socio*. Sociis amicos *Matthaeus* aequiparat, ut jure amicitiae dicantur uti, si quidpiam amico subduxerint *d. lib. 47. ff. tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 6.: Hoc tamen caute, et prudenter accipiendum a Iudice; atque hoc item, siquis per jocum subduxisse dixerit, aut Dominum concessurum putasse, aut, si non putavit, ipse quidem Dominus se non invitum fuisse affirmaverit *Brunnemann. in leg. inter omnes n.* 1., et *in leg. qui vas n.* 8. *ff. de furtis*, *Farinac. d. quaest.* 174. *n.* 142. 155. 156.

(28) *In leg. siquis uxori ff. eod.* „ Si siliginario quis dixerit, ut qui nomine ejus siliginem petiisset, ei daret, et quidam ex trans-

ti, offuciae videlicet actio obtineret, quemadmodum decisum legimus in *Florentina contra Franciscum ineunte anno* 1782.

XII. Haec de furto simplici, et proprio notanda duximus; aliqua nunc generaliter inspicienda supersunt: Et primo quidem, utrum, nec ne furtum reapse Iure naturali sit vetitum, ut *Paulus*, *Ulpianus* (29), et ante eos *Cicero* scripserat, dum interim Gentes non defuerunt olim, apud quas impune erat furari (30); hoc tamen, ut ait *Matthaeus* (31), a corruptae naturae pravitate repetendum est: Caeterum vero nec in ipsa primaeva communione bonorum, quod pomum, ut se sustentaret, quis legerat primus, alteri illud ex ejus manibus tollere nequaquam licuisse, Naturae Lege consulta, fateri cogimur (32): Hoc itaque sensu furtum Naturae adversum dicemus, furtum autem nec esse, nec fieri

„ euntibus, cum audisset, petiit ejus nomine, et „ accepit, furti actionem adversus eum, qui „ suppetiit, siliginario competere, non mihi „.

(29) *In Leg. probrum ff. de verborum significatione.*

(30) Ut de Aegyptiis *Diodorus* testatur *histor. lib.* 1. *cap.* 80., de Lacedaemoniis *Plutarchus in vita Lycurgi*, de Phocensibus *Iustinus histor. lib.* 43., de Germanis *Caesar bell. gallic. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 22.

(31) *D. lib.* 47. *ff. tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 9.

(32) *Lampred. d. cap.* 8. §. 1. Quid autem est primarium Ius Gentium, quod violatum hoc casu dicatur, nisi ipsa Naturae Lex?

posse, cum ea occupantur, quae ad neminem pertinent, et communia sunt omnibus, ut pisces, volucres, ferae libere vagantes (33).

XIII. Atque inde et illud quaeritur, committatne furtum, qui stimulante fame cibum alteri subtrahit? Lucrum et eum fecisse, qui simili modo latrantem implevit stomachum *Matthaeus* considerat, et Legem Naturae caeteroquin violasse, quae suum cuique incommodum ferendum potius et mandat, et vult, quam de commodo alterius, homunculus qualiscunque ille sit, quidquam subtrahere (34): Non desunt qui, ut furtum excludant, communionem primaevam, ne-

(33) Nec autem pisces, qui in privatis piscinis, volucres, quae in aviariis, ferae, quae in roboariis servantur; has enim qui aufert, furti tenetur. Quod si aliis in locis capiantur non aeque septis, qui tamen aut Principi, aut privatis Civibus illius auctoritate reservati fuerint, non idem, nec vetus obtinet rigor; Vid. *Creman. d.* § 7. Patria enim Lex 27. *April.* 1782., non secus ac altera 15. *Februar.* 1793. pecuniarias indixit multas; ad speciem vero servandam utilem, certum venationi, aucupio, et priscatui statuit modum, et tempus; itemque damnis agrorum cavit, in quibus etiam Romanum Ius aucupari Domino invito vetuerat *leg. Divus Pius ff. de servitutibus rusticorum praediorum*; Vid. etiam *Leg.* 20. *Iun.* 1814., quae id ipsum statuit de venatione, et aucupio in alienis agris, aut silvis.

(34) *Matth. d. cap.* I. *n.* 7., *Cic, de offic. lib.*

cessitate urgente, reviviscere ajunt (35), queis tamen alii id objiciunt, absurdum esse ex ea ipsa causa modo admitttere, et modo communionem excludere (36). Controversiam ita cum ipso *Matthaeo* componendam arbitror, ut furtum quidem committat qui ad se sustentandum cibum alteri surripit, quemadmodum homicidium commisit qui in vitae extremo discrimine positus, ut illam servaret, minantem peremit, utrunque tamen impune id fecisse dicamus (37), quoties hic, atque ille culpa quacunque vacet, qua porro homicida non vacat, qui ipse provocaverit primus (38), sicuti nec furem vacare volunt, qui vitiis indulgens, et otio, propterea fame confectus in fatum istud alternum semet ipsum perduxit (39).

XIV. Quaeritur pariter, prodesse nec ne possit error, cum quis plus abstulit, quod

3. *cap.* 6. „ Nonne igitur sapiens, si fame „ ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, Homini ad nullam rem utili? minime vero „

(35) Quos inter *Harpprecht. in instit. lib.* 4. *tit.* 1. §. 1. *n.* 16., *Renazz. d. cap.* 11. §. 2.

(36) *Voet. ad Pandect. lib.* 14. *tit.* 2. *n.* 14.

(37) „ Non grandis est culpa (ait Sapiens) cum „ quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam „ *Proverb. cap.* 6. *v.* 30.

(38) Vid. *lib.* 3. *cap.* 2. §. 1.

(39) *Servin. legislat. crim. lib.* 1. *cap.* 5. *artic.* 1. §. 2.; aliter sentit *Boehmer. d. cap.* 18. §. 165. *in not.*

minus, ut ait *textus*, credebat, aurum ex. gr., quod aes putaverat (40); et prodesse, ad poenae diminutionem quod attinet, ita demum existimo, quoties errore detecto furem confestim poenituisse constiterit, et quod surripuerat restituisse: Ubi haec desint, reliquas excusationes vel circa errorem, vel circa restituendi propositum rejiciendas crederem, quidquid aliter olim, atrocitate fortasse poenae, quae tunc vigebat, quasi coacti, decreverint Iudices (41). Prodesse tamen errorem, ita quidem, ut de eo teneatur, quod abstulit, qui minus furatus est, cum plus credebat, nemini dubium est.

XV. Denique id etiam quaerunt, anne teneatur totius, qui, illud auferre cum posset, partem solummodo abstulit? En *Sabini* responsum, cui *Ulpianus* adhaesisse videtur (42) „ quod si totum vas tollere potuit, „ dicemus eum totius esse furem, licet sol- „ verit, ut singulas, vel quasdam tolleret; „ et ita *Sabinus* ait „; interim vero ipse idem *Ulpianus* partis ablatae solum, quam ex involucro surripuit, furem teneri vult, qui totum auferre involucrum non potuit: Reluctantem sententiam, quae ex praesumpto animo furis quin componatur, ut observat *Matthaeus* (43), magis imo implicatur, concilia-

(40) *Leg. vulgaris §. siquis aes ff. de furtis*,
(41) Vid. *Paolett. d. lib.* 4 *tit.* 1. §. 1.
(42) *In d. leg. vulgaris §. item siquis*.
(43) *D. cap.* 1. *n.* 3.

re studet *Leggius* in notis juxta Sabinianorum distinctionem, subtilem sane, inter corpora, quae unita dicuntur, quae contingentibus constant, et quae distantibus; ita porro, ut totius teneatur qui ex corpore unito, quemadmodum vas, quid abstulerit, quod secus, si ex corpore contingentibus constante, aut distantibus, ut involucrum. Cujuscunque tamen haec interpretatio sit ponderis, generaliter hodie, et recte quidem, receptum est primum ipsius *Ulpiani* responsum, qui alteram *Ofilii* sententiam rejiciens, quatenus modium ex acervo frumenti auferentem totius dixerat furem, verius id esse ait „ in tantum quenque furti actione teneri, quantum abstulerit „(44). Hinc si cistam obseratam surripuerit fur, atque, illa postea alibi effracta, et relicta, solum quae in ipsa erant tulerit secum, cistae etiam nomine furti actione tenetur, quoniam et illam quoque subtraxit, utcunque non principaliter furandi animo, qui secundarius quodammodo, ut ait *Glossa*, accessisse videtur (45): Ex quo porro illud fit, ut fractura non veluti qualitas exaggerans furtum haberi possit, quemadmodum contra haberetur, si fur, ut rem solummodo auferret, ipso in loco cistam fregisset; exag-

(44) Conf. *Paul. in subsequenti leg. siquid fur §. si eo consilio*.

(45) *In leg. qui saccum ff. eod.*, Vid. *Creman. d. artic.* 1. §. 20. *not.* 3.

gerans pariter qualitas esset, si, ut cistam subtraheret, pavimento, aut parieti, cui forte haerebat affixa, fecisset vim (46).

XVI. Ex rei ablatae pretio poenam supputandam quodammodo supra monuimus; hoc autem, ubi consumpta res fuerit, simul cum Domino definiunt, ac statuunt familiares ipsius, et alii, siqui fortasse rem antea plene perspexerint, sicut eodem modo furtum probatur, ut dicunt, in genere (47): Si tamen res adhuc inconsumpta exstet, judicio peritorum in arte subjicitur, atque hoc idem, ubi perfecte similem furtum passus exhibeat, quod providenter apud Nos obtinet, ut justa furti aestimatio habeatur; quandoque enim et Dominus, et familiares ob rei affectionem honestum non servant modum, quemadmodum servandus est, neque, ut alibi monet *Ulpianus* „ immoderata cujusque luxuria est „ subsequenda „ (48).

XVII. Res ipsa porro, aut pecunia furtiva (49), quae consumpta non fuerit, cujuscunque speciei sit furtum, restituitur Domino,

(46) *Paolett. d. tit.* 1. §. 2.

(47) Iuxta *leg.* 9. *Septembr.* 1681. §. 20. 21.; Vid. *Paolett. d. tit.* 1.

(48) *In leg. ex damni ff. de damno infecto*, *Paolett. d. tit.* 1. §. 1.; Vid. etiam *leg. in furti actione ff. de furtis*.

(49) Cujus, ut ajunt, identitas quomodo rite probata dicatur, monuimus alibi, praesertim vero in *illustrat. ad Paolett.* §. 6.

qui passus est illud, seu penes furem reperta fuerit, seu penes emptorem, aut alios, quocunque titulo ad eos pervenerit, quos, ubi dolus absit, ad furem, non ad Dominum, pertinet indemnes reddere: Nam, quidquid aliter favore commercii nonnulli sentiant, firmum apud Nos perstat celebre hoc Imperatorum Rescriptum, quod Negotiatorum precibus emissum legimus „ incivilem rem desideratis, „ ut agnitas res furtivas non prius reddatis, „ quam pretium fuerit solutum a Domi- „ nis „ (50); repugnat quippe (ait *Gundlingius*) „ rem meam emi, aut denuo parari, ut „ alienam „, cum qui bona fide possidet in opinione tantum sit Dominus, in veritate autem qui passus est furtum (51).

XVIII. Quod tamen de ipsa re furtiva nunc diximus, non aeque se habet, ubi furtiva res in pecuniam redacta fuerit, vel ubi in rem, versa vice, pecunia furtiva; „ quod „ enim ex re furtiva redigitur, ut ait *Ulpianus*, furtivum non esse, nemini dubium „ est „ (52): Quid autem, si non bonae, sed malae fidei possessor, aut etiam fur ipse redegerit? Neque hoc casu furtum passus vin-

(50) *In leg.* 2. *Cod. de furtis, et servo corrupto.*
(51) *De jure Nat. et Gent. cap.* 20. §. 102. Vid. prae caeteris *decision. anni* 1742. *in Florentin. contra Dominicum Vestrium*, *et anni* 1785. *in Liburnens. contra Iosephum Hebraeum.*
(52) *In leg. qui vas* §. *final. ff. de furtis.*

dicare, quod fuit redactum, jure dominii potest (53), eique civilis actio, ut caeteris creditoribus competit (54): Secus tamen, si vel hujusmodi possessor, vel fur ex ablata materia novam fecerit speciem, ut „ ex uvis „ mustum (sic *Paulus*), ex olivis oleum, ex „ lanis vestimenta „; tunc enim id verius cum ipso Iurisconsulto dicemus nostrum esse, quod ex re nostra fit mala fide (55).

XIX. Caeterum vero, qui mala fide possident, et ad poenam, et ad damna sarcienda furtum passo tenentur simul cum fure, ac reliquis, siqui fuerint, sociis, quatenus

(53) Hinc *Ulpianus* in *d. leg. qui vas* furti teneri ait Dominum, qui quod fuit redactum per vim abstulerit: Rectius tamen, mea quidem sententia, actione de vi; sibi enim violenter jus dixit quocunque lucrifaciendi animo vacans. Nec autem hoc animo vacat quisquis alter, vel quod fuit redactum, vel quod ablatum, surripit furi, et sibi adjudicat; ideoque hic recte quidem tenetur furti *leg. qui re §. siquis ff. eod.*, *Farinac. quaest.* 174. *n.* 94. Non tamen nova obtinet actio in fures, qui sibi subtrahunt invicem ea, quae surripuerant simul ad *text. in leg. ei qui furi ff eod.*

(54) *De Luca de credit. et debit. discurs.* 26. *n.* 10., qui tamen aequitati consentaneam praelationem fatetur.

(55) *Leg. de eo §. siquis ff. ad exhibendum*, *leg. siquis uxori §. siquis massam ff. de furtis*, *Mynsinger. in instit. de rerum divisione §. cum ex aliena n.* 14., *Harpprecht. in d. §. cum ex aliena n.* 12.

non ipse plene indemnis extiterit restitutione furtivae rei, vel pecuniae, quae forte consumpta, aut redacta non fuerit: Ad haec porro damna singuli tenentur in solidum (56), pro modo tamen admissi, ita quidem, ut aeque omnes teneantur, qui ipso ab initio consenserunt in furtum; secus, pro rata parte, quam quisquis eorum contrectaverit postea, aut receptaverit sciens; qui enim ignarus recepit, aut emit, non aliter teneri potest, quam, ubi certior deinde factus quidquid fuit ablatum non exhibuerit Curiae (57), sive in Territorio commissum fuerit furtum, aut etiam extra a Subdito, vel a non Subdito, qui ipse quoque ratione contrectationis punitur (58): Scientia autem, et mala fides, quae non semper directe probari potest, facillime arguitur ex personarum qualitate, vel rei, ex loco, tempore, et pretio, ubi de emptione dolosa sit quaestio (59): Nihili tamen tenentur, qui scienter non furtum, sed furem absque pravo consilio receperint, aut in fuga juverint; nam, ut ait

(56) Atque, si unus solverit, quem convenire furtum passus eligat, caeteri liberantur, excluso divisionis beneficio, et regressu *ad text. in leg. proinde ff de condiotione furtiva, leg.* 1. *Cod. eod., et ibi Brunnemann.*

(57) *D. leg. anni* 1681. §. 11. 12.

(58) *D. leg.* §. 16.

(59) *Paolett. d. tit.* 1. §. 9., *Renazz. d. cap.* 11. §. 5.

Marcianus „ furtum non committit, qui fu-
„ gitivo iter monstravit „ (60).

XX. Quae de emptoribus, receptatoribus, et generatim de malae fidei possessoribus diximus, aeque se habent, etiamsi furti actione is, qui furtum admisit, conveniri non possit, quemamodum Filius, qui Patri furatus fuerit, Uxor Marito, nec tamen qui auxilium praebuit, ut optime respondit *Ulpianus* „ item placuit eum, qui Filio, vel Servo, „ vel Uxori opem fert furtum facientibus, „ furti teneri quamvis ipsi furti actione non „ conveniantur „ (61): Regula enim, quod accessorium, ut dicunt, naturam sui principalis sequatur, tunc solum congruere casui potest, quando qualitas impediens actionem in reum principalem delicto inest intrinsecus, non quando extrinsecus; intrinsecus porro, cum deficiente legitimo accusatore non licet inquirere in reum minus proprii furti, quoniam privatum est crimen; extrinsecus autem, cum solum ex qualitate personae inquirere in illam non licet, quae proprium furtum commisit, crimen videlicet publicum: In eum igitur, qui Filio, aut Uxori furtum facientibus auxilium praebet, aut, quod abstulerunt, sciens quomodocunque contrectat,

(60) *In leg. 64. ff. de furtis.*
(61) *In leg. qui servo ff. eod.* Ad servum quod attinet, aliud hodie jus viget, ut infra videbimus.

recte potest inquiri; non itidem recte in altero casu, quandoquidem non ratione personae, sed criminis in reum principalem inquiri nequit; atque, sic distinguendo, nuper citata regula, quam simul cum aliis proponit *Giurba* (62), textui est congruens.

XXI. Quemadmodum porro nec Uxor, nec Filius actione furti famosa conveniuntur, siquid illa Marito, hic Patri abstulerit, ita quoque nec Maritus, nec Pater, siquid ex castrensi peculio, vel quasi surripuerit Filio; id quippe et reverentia, et necessitudo, et personarum quasi unitas (63) exigit: Inter Conjuges quidquid invicem surreptum fuerit vel condicitur, aut rerum amotarum obtinet actio (64); in factum actio inter Patrem, et Filium, qui peculio non careat (65), neque

(62) *Consil.* 68. *n.* 24.; Vid. *decis. anni* 1779. *sub n.* 862. *Rectorum*.

(63) Filius bonorum Patris videtur quodammodo et ipse Dominus *leg. in suis haeredibus ff. de liberis, et posthumis, leg. nec cum filiofamilias ff. de furtis*.

(64) *Leg. rerum quidem ff. de actione rerum amotarum, leg. si quis uxori ff de furtis, Harpprecht. in inst. de obligationibus, quae ex delicto nascuntur §. hi qui in parentum n.* 7.

(65) *Leg. Parens ff. de obseq. a liber. parent. praestand., Bynkershoek observat. jur lib.* 1. *cap.* 3., *Giurb. d consil.* 68., ubi sapienter eorum refellit sententiam, qui pro furto magno famosam furti actionem in Filium instituendam esse ajunt.

enim, ut ait *Cajus* „ Lis ulla nobis esse po- „ test cum eo, quem in potestate habemus, „ nisi ex castrensi peculio „ (66). Non tamen hujusmodi Personis adire etiam vetitum Po- litiae Magistratum, ut auctoritate, qua pollet, vitiosos contineat: Patri praetera non im- moderata coercitio etiamnum permittitur, ubi Filius delinquat; severiorem concedere, et simul inferre ad Magistratum pertinet juxta *Alexandri* rescriptum (67). Quod supra de Patre, et Filio diximus, hoc idem intel- ligendum de Matre, Avo, et Nepotibus: Ad caeteros propinquos quod attinet, ubi com- munio bonorum absit, actionem furti obtine- re apud Nos pluries decisum est (68), mitius utcunque, atque eo semper, quo propior est gradus, puniantur (69).

XXII. Simplicis furti poena ex Legibus nostris juxta ipsius aestimationem perpendi- tur, ita quidem, ut carcere leviora furta puniantur, relegatione (ergastulo nunc) et opere publico graviora, quae poena et illos manet, qui pluries, modica utcunque, furati fuerint (70); concordes, qui efficax consi-

(66) *In leg.* 4. *ff. de judiciis*.

(67) *In leg. si filius, leg. congruentius, Cod. de patria potestate*.

(68) *Argum. text. in leg. nihil interest ff. de actione rerum amotarum*.

(69) Vid. *decis. anni* 1796. *in Florentina contra Riccardum*.

(70) *Cod. Leopold.* §. 74., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 19., *Leg.* 22. *Iun.* 1816.

lium, et auxilium praebuerint, eadem ratione, qua Rei principales puniuntur (71); caeteri mitius: Ad poenam, ut alibi diximus (72), tenentur singuli, nec, si unus persolverit, caeteri liberantur, seu porro plus unus, quam alter fecerit lucri; non raro enim in societate furum id evenit, ut quae surripuerant simul vel alter clam alteri subtrahat, vel qui inter illos audacior instar Aesopii leonis plus multo arroget sibi. Severiores olim in Hetruria, sicut alibi, poenae vigebant in fures; qui enim ter diverso tempore furatus fuisset, utpote inemendabilis, plectebatur morte, atque hac ipsa poena reus furti magni, cujus videlicet aestimatio septingentos aequaret argenteos hetruscos nummos solidorum vigiuti (73), ideo fortasse quod, sicuti magna, et diffusa tutela tribus aequiparatur (74), ita pariter et magnum furtum tri-

(71) *Supra cit. Leg. anni* 1681. §. 11. quae in subsequenti §. 17. super celebri quaestione Rhetorum id statuit, ut singuli fures totius rei teneantur, quam, nemo solus cum posset, conjunctim tulerunt; vid. *leg. vulgaris* §. *si duo ff de furtis*, *Bynkershoek. observat. jur. lib.* 5. *cap.* 8. Ad consilium, et auxilium quod attinet vid. *leg. in furti actione ff. eod*; Vid. etiam *Carmignan. elem. jur. crim. lib.* 1. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 2. §. 176.

(72) *Lib.* 1. *cap.* 4. §. 90.

(73) *Leg.* 15. *Ianuar.* 1744. §. 17.

(74) *Leg. si is qui tres* §. *final. ff. de excusationibus tutorum*.

bus; argumentum sane ridendum, ut optime animadvertit *Voet.* (75). Hanc itaque severitatem Sapientissimus Noster Legislator sustulit, et furti simplicis crimen a capitalium classe delevit, sive iteratum porro, seu magnum: Quae nanque proportio, ut prae caeteris observat *Renazzius* (76), inter Hominis vitam inaestimabilem pretio, bona, et fortunas? Quomodo inemendabilem eum certo quidem dicemus, qui ter furatus est, seu porro priorum criminum luerit poenam, seu, Laverna protectus, non adhuc, ideoque malae consuetudinis potius, quam pervicaciae argui possit (77)? Quod si inemendabilem etiam ponamus, cum aliter haec malorum sentina, ut ait *Matthaeus*, exhauriri possit, non est, cur laqueo grassemur, et furcis (78). Pecuniariam fuisse poenam apud Romanos jam supra vidimus, altera antiquiori sublata in manifesti furti reum, qui, si liber Homo, verberibus caesus in servitutem furtum passi addicebatur, si servus, ipse quoque virgis caesus e saxo Tarpejo dejiciebatur (79): Haec

(75) *Ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 2. *n.* 18., *Gomez. variar. resolut. de furt. cap.* 5. *n.* 7.

(76) *D. cap.* 11. §. 8., *Matth. d. tit.* 1. *cap.* 2. *n.* 6.

(77) *Matth. d. tit.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. 11.

(78) *D. cap.* 2. *n.* 6.

(79) *Gell. noct. Attic. lib.* 11. *cap.* 18., *Gravin. de orig. jur. lib.* 2. *cap.* 48. Pecuniaria pariter poena furtum plectebatur apud Hebraeos *Exod. cap.* 22. *vers.* 1., *Levitic. cap.* 6. *v.* 5.

tamen multa, utpote inefficax, adeo paulatim recessit, ut Magistratus progressu temporis et abscissione membrorum, et morte plectere non dubitaverint fures, quorum in dies increbuerat numerus; quod tandem supplicium a *Iustiniano* sublatum legimus (80). Cum furtum ut plurimum perpetretur ab iis, qui propter desidiam, et vitia premuntur inopia, non alia propterea accommodatior, recidivis praesertim, videtur poena, quam quae diuturno labore repensare illos adigat nocendi impotes praeteritum vitae genus, atque hac ratione Reipublicae non tam oneri sint, quam emolumento, exemplo caeteris; quod quidem providentissime recens Lex nostra praestitit (81).

6., quemadmodum et apud Graecos plerumque, ut notat *Bynkershoek. observat. jur. lib.* 3. *cap.* 16. Lex enim *Draconis*, quae furtum quodcunque plecti edixerat capite, tacito consensu exoleverat: Etiam Gentis Teutonicae plerique Populi pecuniariam furibus indixerant poenam, nonnulli tamen capitis *Boehmer. d. cap.* 13. §. 171.

(80) *Authentic. ut nulli Iudicum, seu Novell.* 134. §. *si vero criminis* ,, pro furto autem ,, nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari: Fures autem vocamus, qui occulte, et sine armis hujusmodi delinquunt ,,.

(81) Lat. 22. *Iun.* 1816. §. ,, E poichè l' esperienza ,,

CAPUT II.

De offucia.

XXIII. Offucia, ubi nominis proprietatem sequamur, idem sonat, quod fucus, quo faciei candorem, aut ruborem Foeminae inducunt (1), per metaphoram autem, seu tropum, fraudem, fallaciam, technam significat (2); atque hoc nomine, quod stellionatui pariter convenit, crimen hic intelligitur, quod furtum minus proprium diximus, italico sermone *truffa*. Hoc autem sic definitur a Sidoniorum Episcopo „ inficiatio „ illius, qui ex legitimo contractu rem habuit ab initio, vel alias ad ejus manus pervenit non invito Domino, et negat habuisse, aut in proprios usus convertit, aut „ ad sui commodum distraxit „ (3). Sola inficiatio tamen furtum non facit, nisi ille, qui negat „ rei possessionem (sic *Celsus*) „ adipiscatur intervertendi causa „ (4), eam-

(1) *Plaut. in Mostellar. act.* 1. *scen.* 3.
Neque cerussam, neque melinum, neque aliam ullam offuciam.

(2) *Id. Plaut. in Captiv. act.* 3. *scen* 4.
Ita mihi stolido suis os sublevere offuciis.
Gell. noct. attic. lib. 14. *cap.* 1.

(3) *Scannarol. de visit. carcer. lib.* 1. §. 13. *cap.* 3. *n.* 23.

(4) *In leg. inficiando ff. de furtis.*

que reapse intervertat (5); nam secus, in inficiatorem, quem furi proximum Iurisconsultus dicit, obtineret actio civilis ex contractu; praesumptio quippe evanescit, et dolus restitutione rei, utcunque sera, purgatus dicitur, ubi nil in adversum probatum fuerit.

XXIV. Nec autem intervertere is proprie dicitur, qui re sibi pignerata, aut penes ipsum deposita haud aliter, quam ipse Dominus, utitur; ideoque, etiamsi res fuerit facta deterior, potius quam furti, actione civili ex contractu teneri posse videtur (6): Ad rem commodatam quod attinet, id pariter hodie receptum est, ut sola civilis actio in eum obtineat, qui, non quemadmodum concessa fuerat, ipsa utatur, Domino invito (7), quod secus ex Iure Romano (8); qua-

(5) *Leg. possideri §. si rem ff. de acquirenda, vel amittenda possessione.*

(6) *Covarruv. variar. resolut. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 8.

(7) *Voet. ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 2. §. 15, *Vinn. in instit. lib.* 4. *tit.* 1. §. 6., *Boehmer. d. cap.* 13. §. 159. *in not.*, *Renazz. d. cap.* 11. §. 1. *n.* 3. *not.* 1: Acrius, ac severum Iudicium, ait *Gellius*, cum quis furti damnatur, qui jumenta aut longius, aut aliorsum duxit, quam quo utendum acceperat *Noct. Attic. lib* 7. *cap.* 15.

(8) *Leg. qui jumenta, leg. si pignore, leg. qui re sibi ff. de furtis, §. furtum autem instit. de obligationibus, quae ex delicto nascuntur.*

propter in furti definitione illud etiam possessionis, et usus addidit *Paulus*.

XXV. Hoc porro crimen, utcunque stellionatui affine, in eo tamen ab ipso differt, quod res Domini quidem consensu in manus illius, a quo postea intervertitur, pervenit, aut ab ipso Domino traditur, nec autem titulo ad transferendum dominium idoneo; quod non itidem in stellionatu, cujus exemplum *Ulpianus* in illo perhibet, qui se divitem simulans, et mercis pretium se soluturum ad diem, venditorem fraudat, et decipit (9), sicut in illo, qui aes pignori dat, et aurum esse ait; si tamen aurum reapse dederit, et fraudulenter deinde subjecerit aes, furti tenetur (10), minus utcunque proprii; nemo enim rei suae furtum facere potest (11).

XXVI Sicuti rei, ita quoque et pecuniae minus proprium furtum committitur, cum quis videlicet, solventis errore, plus, quam ipse debebat, et accipit, et retinet sciens (12): Item et ille, qui in suos usus convertat pecuniam, quae ad alterum per-

(9) *Leg. falsus creditor §. siquis nihil ff. eod.*
(10) *Leg. cum aes ff. eod.*
(11) *Paul. lib. 5. sentent. tit.* 31. *§.* 21., *Vinn. d. tit.* 1. *§.* 10.; Furti autem proprii tenebitur, si aurum non pigneravit, sed vendidit, et illo deinceps amoto dextere subjecit aes.
(12) *Leg. vulgaris §. si is, qui ff. eod.*

ferenda ipsi tradita fuerat (13); si tamen non ideo tradita, ut speciem perferret, utpote quantitatis debitor, actione furti conveniri non potest; in eum siquidem translatum dominium dicitur, ita quippe, ut tantundem solvisse sit idem (14).

XXVII. Ad furti speciem, de quo nunc agimus, et quo frequenter maculantur artifices, cum rem ad opus aliquod peragendum accipiunt, eamque distrahunt, ipsa etiam fraudata administratio refertur, quatenus in patrimonia privata committitur (quae enim in publica ad peculatum pertinet); sed quoniam velamen administrationis, ut ait *Glossa*, temperat furtum (15), ideo in administratorem non conceditur actio, nisi, postquam rationes et positae, et redditae ab ipso fuerint, cum usque eo possit poenitens voluntarios corrigere errores, et dolum purgare (16).

XXVIII. Poena, quae ex Legibus nostris viget in minus propria furta, quoties ipso ab initio intervenerit dolus, eadem est, quae

(13) *Leg. si mandavero §. si tibi centum ff. mandati, leg. si is, cui te Cod. de furtis, et servo corrupto.*

(14) *Leg. in navem ff. locati, Farinac. quaest.* 168. *n.* 124. *et seq.*

(15) *In leg. tres tutores verb. contrectare ff. de administratione, et periculo tutorum.*

(16) *Ansald. de commerc. discurs.* 36. *n.* 4., *De Luca de regalibus discurs.* 119. *n.* 17.

proprio, et simplici furto debetur; mitior secus; eadem pariter poena administratio fraudata plectitur: Quia porro delicta privata sunt, ideo, qualiscunque sit rei aestimatio, non nisi iis, quorum interest, accusare permittitur (17), fraudibus tamen exceptis, quae ad lanam, et sericum attinent (18), favore praestantioris commercii, quo ex hujusmodi artibus Hetruria florescit, et floruit; maritimae pariter excipiuntur fraudes, quae sive in contractibus iis versentur, quibus transfertur dominium, seu non, publicum illud crimen constituunt, quod italica lingua *baratteria* dicitur (19), severius puniendum non tantum ex Romanorum Iure (20), quam ex patrio Edicto (21).

(17) *Cod. Leopold.* §. 79., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 5.
(18) *Leg* 18. *Iun* 1793., *leg.* 19. *Febr.* 1796.
(19) *Targa ponder. marit. cap.* 74.
(20) *Leg. Iudices Cod. de navicularius* .
(21) *Lat.* 10. *Octobr.* 1748. *tit.* 2. *artic.* 8., *tit.* 4. *artic.* 10.

CAPUT III.

De furto, quod dicunt qualificatum.

XXIX. Furtum ex qualitatibus, quibus informatur quandoque, gravius considerari diximus, atque harum nonnullas proprium nomen tribuere crimini: De his in posterum; de illis primo nunc disseremus, quae quidem odiosius ex Legibus nostris crimen ipsum efficiunt, vel personae ratione, vel loci, vel modi, vel temporis.

XXX. Ratione personae odiosius, et gravius habetur furtum, quod famuli, vel mercenarii committunt, domesticum scilicet (1); hi enim, atque illi et commodo, et facilitate, et ipsa Domini fiducia abutuntur, quod quidem, ut ait *Harpprechtus*, species est

(1) *Leg. respiciendum §. furta ff. de furtis* ,, domestica furta vocantur, quae servi Dominis, liberti Patronis, vel mercenarii, iis, apud ,, quos degunt, surripiunt ,,: Servi apud Romanos actione domestici furti conveniri non poterant *leg. servi*, *leg qui servo ff. de furtis*, cum in eos plenum puniendi jus haberet Dominus ad mortem usque, sicut Pater in Filios, quo paulatim sublato, ita quidem, ut coercitio gravior spectaret ad Iudicem *Bynkershoek. de jure occidendi liberos cap.* 4., tandem servitus ipsa recessit; ideoque, non servi, nec liberti, sed liberi cum hodie sint omnes, puniendi jus totum est Iudicis.

proditionis (2), itemque ingrati animi vitium, cum a Domino mercedem recipiant, ut unusquisque munere suo fungatur fideliter. Mercedem simul, et commodum ex Legibus nostris (3) requiri, ut actione furti domestici quis teneatur, pluries notatum est, ita porro, ut neque famulus, quem dimiserit Dominus, ejusmodi actione conveniri possit, siquid ei vix dum dimissus ante discessum furatus fuerit, nec mercenarius, qui non eo in loco, ubi quotidiana mercede mandatum peragit opus, sed alibi furtum ipsius damno committit; haec actio pariter cessat, si famulus, vel mercenarius non Domini rem, sed alienam ipsi Domino quomodocunque traditam surripuerit (4), sicut, si Hospitis rem (5).

(2) *In instit. lib.* 4. *tit.* 1. §. 11. *n.* 12.

(3) *Leg.* 15. *Ianuar.* 1744. §. 14., *Rescript.* 14. *Mart.* 1747.

(4) *Paolett. d. tit.* 1. §. 2. Poenae severitas, quae apud Nos viguerat olim in fures domesticos, id forte praestitit, ut laxiore quandoque sensu Iudices interpretati fuerint Legem.

(5) Haec de furto domestico ex Legibus nostris animadvertenda duximus: Caeterum et Hospes, qui Hospiti, et Stabularii, et Caupones, eorumque famuli, qui Advenis hospitio receptis furantur, aut hi versa vice illis, magis mea quidem sententia delinquunt, quam reliqui rei furti simplicis; abutuntur enim fiducia, quam sibi vicissim peculiariter debent.

XXXI. Locus pariter facit, sic *Saturninus* (6) „ ut idem vel furtum, vel sacrile-„ gium sit, et capite luendum, vel minore „ supplicio „; de sacrilegio, quatenus ad Majestatem Divinam refertur, alibi diximus (7); quatenus furtum, dicendum nunc: Sacrilegum ex Lege nostra furtum est, cum e Loco sacro res sacra ad lucrum faciendum surripitur (8); res sacra ex ipsa Lege sacrum quodcunque Vas est Cultui Divino sacratum sive a Pontifice, sive ab Episcopo (9); sacer Locus quaevis Ecclesia publica: Hujus itaque Loci ratione furtum apud Nos gravius est, ubi simul concurrat rei ablatae qualitas; hac deficiente, punitur ut simplex, quod secus dicendum videretur fortasse ex allata *Saturnini* sententia; haec tamen sic accipienda juxta *Bynkershoekium* (10), ut res, quae aufertur, ipsi Loco sacro addicta sit, seu porro pecunia, sive quid aliud fuerit (11),

(6) *In leg. aut facta §. locus ff. de poenis*.
(7) *Lib.* 2. *cap.* 3.
(8) *Cod. Leopold.* §. 78. Ex Iure canonico sacrilegum etiam est furtum, cum sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro surripitur *can. quisquis caus.* 17. *quaest.* 4.
(9) §. *Sacrae res instit. de rerum divisione, et ibi Glossa:* Nec autem refert, totum ne Vas, an partem solummodo abstulerit fur *Paolett. d. tit.* 1. §. 8.
(10) *Observat. Iur. Rom. lib.* 1. *cap.* 8.
(11) *Leg.* 1., *leg.* 4., *leg.* 9 *ff. ad Legem Iuliam peculatus, et de sacrilegiis*.

nec autem quae ad alios pertinet, ut aperte rescriptum legimus ab Imperatoribus(12) „ res privatorum si in aedem sacram depositae surreptae fuerint, furti actionem, „ non sacrilegii esse „. Huic rescripto adhaerens Lex nostra et Loci, et rei qualitatem, ut diximus, exigit; non ita sane anterior Lex, quae Loci rationem sic habendam voluit, ut furtum rei licet non sacrae commissum ex Templo magis plecteretur, quam simplex, minus, quam sacrilegum furtum (13); atque hac ipsa mensura, ubi alterutra abesset ex qualitatibus, poenam sanxisse Romanum Ius habemus a *Paulo* „ at qui privata „ sacra, vel aediculas incustoditas tentave-

(12) *Leg. Divi Verus ff. eod.: Sopater* contra plus eum peccare contendit, qui res privatorum e Templo surripit, cum et Homines laedat, et Deum, cujus fidei res concreduntur, ut a Plautino illo sene in *Aulul. act.* 4. *scen.* 2.

Tuae fidei credidi aurum; in tuo luco, et fano est situm.

Vid. *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 10. *cap.* 3.

(13) *Leg.* 9. *Septembr.* 1681. §. 6. Quamvis ex Lege vigente sola qualitas loci non exaggeret furtum ad poenam indictam, fatendum tamen, ut alias notavi, magis eum delinquere, qui in Templo, Aula, Foro, Theatro, Academia etc. crimen quodcunque committit, quam alibi, ita quidem, ut Iudex intra latitudinem statutam poenae nequicquam indulgeat.

„ rint, amplius quam fures, minus quam „ sacrilegi merentur „ (14).

XXXII. Ad modum quod attinet, hujus ratione gravius est furtum, cum ad illud patrandum vel quidquid obseratum effringitur, vel appositis scalis acceditur, vel falsis clavibus: Quae enim caeteroquin et Nostri, et rerum nostrarum securitas? Hac tamen severiore Legis censura adversus fures, quos effractores, vecticularios, et confectores cardinum dicunt, nequaquam teneri illos posse pluries decisum est, qui non ea, quae vera vis dici valeat, obstaculum ad furtum faciendum amoverint (15), januam ex. gr. carie corrosam, et quasi dilapsam, aut quid simile, aut multo minus sepem (16); qui tali modo sua bona servat, non satis profecto eorum securitati consulit, quam violasse ut crimen magis odiosum Lex imputat furi. Scalarum usus, aut cujuscunque instrumenti, quod scalis aequiparari possit, merito pariter furi imputatur; nec autem, quoties aeque commodus accessus ad furandum sine illis patebat (17), cum non ea ratione, qua scalis muros transcendere capital esse *Pomponius* ait (18), sca-

(14) *In d. leg. 9. ff. eod.*
(15) *Paolett. d.* § 2.
(16) *Creman. d. artic.* 1. §. 20.
(17) *Paolett. loc. cit., Creman. d. artic.* 1. §. 19. *not.* 2.
(18) *In leg. si quis ff. de rerum divisione.*

larum usum persequatur Lex nostra; ideo enim persequitur, quod violatur securitas, cui quisque tecto, et muris defensus domi suae confidit; si non probe confidit, quod facilis aliunde accessus pateret, frustra severitatem Legis exspectat. Falsis itidem clavibus, aliisque ad claustra aperienda instrumentis idoneis violatur securitas, ita quidem, ut furtum simili modo commissum gravius ipsum quoque habeatur; falsa autem ex Lege nostra quaecunque clavis est, quae non Domini (19).

XXXIII. Huc genus illud pertinet furum, quos *Tertullianus* manticularios vocat (20), sectores zonarios *Plautus* (21), Graeci autem βαλαντιοτόμους, qui videlicet in turba, et circulis incautorum Hominum zonas dextere secant, ut nummos furentur, vel qui simul cum nummis loculos ipsos, aut quid aliud subtrahunt agilitate incredibili, quae tanta in iis est, ut ingenium omne in digitos abiisse videatur: Hi porro ab iis non differunt furibus, quos, ut observat *Matthaeus* (22), Romani saccularios vocabant, quatenus „ vetitas artes exercentes in sacculos partem „ subducerent, partem subtraherent „ (23)

(19) *D. leg. 9. Septembr. 1681. §. 4.*
(20) *In Apol. cap. 44.*
(21) *In Trinumm. act. 4. scen. 2.*
(22) *Lib. 47. ff. tit. 11. cap. 1. n. 3.*
(23) Ita *Ulpianus in leg. saccularii ff. de extraordinariis criminibus.*

non quidem praestigiis; quae redolerent magiam, ut ipsi forte Romani putabant, sed incredibili, quemadmodum dixi, agilitate manuum, qua, falsis mercibus, aut nummis dextere suppositis bonis, emptores fraudabant (24). Saccularios, effractores, et reliquos hujusmodi furfuris eadem perpendendos mensura Romanum Ius voluit (25); eadem Lex nostra pariter (26): Et quamvis impudentiores prae caeteris manticularii videantur, cum vere perfricta fronte ipsius Domini ante oculos dexteritate, quae vix percipi potest, furentur (27), non ideo actione rapinae teneri possunt, nec teneri Lex vult, quidquid aliter nonnulli sentiant (28); proprie enim rapuisse ille dicitur, qui personae vim intulit.

XXXIV. Denique ratione temporis gravius

(24) De directariis, de quibus hoc loco *Ulpianus*, alibi dictum est: His prope similes eos, qui in Templo, Aula etc. fraudulenter absconditi opportunitate capta furtum fecissent, severius puniendos edixerat nuper citata Lex anni 1681. §. 6.; Vid. *leg.* 11. §. *Divi Verus ff. ad Leg. Iul. peculatus*, ubi versutum id generis commentum ad furtum perficiendum affertur.

(25) *In leg.* 1. *ff. de effractoribus, et expilatoribus*.

(26) *Cod Leopold.* §. 75.

(27) Nonnulla ejusmodi exempla refert *Paolett. d. tit.* 1. § 3.

(28) *Ursay. instit. crim. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 210., *Iodoc. prax. crim. cap.* 103. *n.* 3.

dicitur furtum, cum ea opportunitate committitur, qua ex incendio, ruina, aut naufragio cuncta sunt in discrimine: Quid nanque minus humanum, quam ex infortuniis turpia sibi lucra parare, et sui similes jam calamitate perculsos infeliciores etiam reddere bonorum reliquias rapiendo, quae forte superfuerant (29)? Nec autem interest, ex ipso ne ardente, vel ruente aedificio, an ex adjacentibus, quae in pari periculo sint, res auferantur (30), quod idem dicendum, sive ex rate rapiantur naufragii, vel pugnae tempore, seu post ex mari, aut ex litore, et usque dum res in tuto non fuerint (31). Et quoniam ex navi quandoque, tempestate furente, merces jaciuntur, ut levior facta servetur, ideo, siquis eas ad litus pulsas a fluctibus, vel prope litus abstulerit, hac actione tenebitur; nec enim pro derelicto habuisse jacientem credendum est (32), nisi forte vel qualitas mercium, vel immensitas pelagi, ubi jactae fuerunt, aliter suadere videatur, ita quidem, ut hoc solum casu derelicti praesumptio auferenti prodesse possit (33).

(29) *Servin. legislat. crim. lib.* 1. *cap.* 5. *artic.* 1. §. 3.

(30) *Leg.* 1. *ff. de incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.*

(31) *Leg. quo naufragium, leg. Pedius, leg. siquis ff. eod.*

(32) *Leg. si laborante §. final. ff. ad Leg. Rhodiam de jactu.*

(33) *Brunnemann. in leg. falsus ff. de furtis*

XXXV. Quae supra diximus ad caetera quoque infortunia sunt referenda, quibus perculsi Homines non ea, quae par est, custodia servare possunt sua bona; quo enim minus Homines valent, plus eo Legis officium est praecavere, ita quidem, ut severius vindicet furtum, ubi major adsit furandi copia (34); hac sane ratione apud Scythas nullo tecti munimento defensos gravius quocunque scelere furtum fuisse testatur *Iustinus* (35): Quaenam porro infortunia Homines magis percellunt, et ad bona servanda magis impotes reddunt, quam late bacchantes tumultus (36), quam tormenta in Urbem obsessam emissa, quam alluviones, quam terraemotus (37), quam pestis? Gravius itaque furtum non immerito dicimus perpetratum quo tempore ex hujus-

n. 9., *Menoch. de praesumpt. lib.* 5. *praesumpt.* 30. *n.* 16. 17. 18., *Farinac. quaest.* 168. *n.* 81. Qui merces ad litus maris projectas contrectant, severe caeteroquin puniuntur ex Legibus nostris ad pestis avertendum periculum *Leg.* 12. *Mart.* 1753., *et* 15. *Iul.* 1785. §. 51.

(34) *Creman. de jur. crim. lib.* 1. *part.* 1. *cap* 6. §. 4.; quapropter Lex 15. *Ianuar.* 1744. § 15. gravius voluit plecti furta frumenti ex fossis incustoditis commissa.

(35) *Histor. lib.* 2.

(36) Hinc *Seneca controvers.* 8. *lib.* 4. „ aeque dignus est poena qui ipse vim adhibet, „ ut qui ab alio admota ad lucrum suum utitur „

(37) . . . . . . quas exitus hic animai
Disturbat Urbes, et terraemotus obortus?
Lucret. de rer. natur. lib. 6.

modi calamitatibus quidquid aspicias est horror,

. . . . . . crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago (38),

quam tristem furandi occasionem scelestos captasse Ulyssipone, cum terraemotibus quassaretur, et alibi, notum est satis (39), itemque Florentiae miserando illo tempore, quo dira pestis exhauserat civibus Urbem (40).

XXXVI. Qualitates, de quibus hactenus dictum est, usque eo exaggerant furtum ex Legibus nostris, ut aestimationis dimidium sufficiat ad poenam irrogandam, quae furto ipsi deberetur, quatenus simplex (41). Ad Ius Romanum quod attinet, quid de domestico furto statuerit, jam supra vidimus; quid ante Legem Iuliam de furto sacrilego, non satis perspectum est; quam enim Legem exhibet *Cicero* (42), utrum haec ad Decemvirales pertineat, dubitandum videtur (43): Sed quoniam, ut reliquas Gentes, ita quo-

(38) *Virgil. Aeneid. lib.* 2.

(39) Vid. *Carrard. jurisprud. crim. part.* 1. *sect.* 4. *cap.* 1. *class.* 2. *artic.* 3.

(40) *Boccacc. initio libri, qui inscribitur* „ Decamerone „

(41) *Cod. Leopold.* §. 75., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 19.

(42) *De Legibus lib.* 2. *cap.* 9. „ Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit, rapseritque, parricida esto „

(43) *Gravin. de orig. jur. lib.* 2. *cap.* 77.

que Romanos de religione sommopere fuisse sollicitos, post *Numae* praesertim *Pompilii* instituta politica, nemo est, qui ignoret, ideo de sacrilegio etiam eos sanxisse merito credendum est, quod quidem a *Tarquinio* vindicatum fuisse culleo tradit *Valerius Maximus* (44) „ justissime, ut ipse ait, quia pari „ vindicta Parentum, ac Deorum violatio „ expianda est „: Lapidatione apud Hebraeos (45), nec minus alibi severis suppliciis punitum fuisse legimus (46), quemadmodum post Legem Iuliam non raro apud Romanos (47): Hanc porro severitatem correxit Lex nostra, quoties loci, et rei sacrae violatio non finis actionis esset, ut notavimus alibi, sed simplex effectus (48). Poena metalli, aut operis publici ex Romanorum Iure

(44) *Lib.* 1. *cap.* 1.
(45) *Ios. cap.* 7. *v.* 25.
(46) *Boehmer. d. sect.* 2. *cap.* 14. §. 189. 190., ubi singularem sane apud Frisiones poenam statutam exhibet „ Qui fanum effregerit, et „ ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad ma- „ re, et in sabulo, quod accessus maris ope- „ rire solet, finduntur aures ejus, et castra- „ tur, et immolatur Diis, quorum templa vio- „ lavit „.
(47) *Leg. sacrilegi, leg. sacrilegii ff. ad Leg. Iul. peculatus*, ubi *Ulpianus* „ et scio multos „ etiam ad bestias damnasse sacrilegos, non- „ nullos etiam vivos exussisse, alios vero in „ furca suspendisse „.
(48) *Lib.* 2. *cap.* 3. §. 18.

effractores manebat, saccularios, et directarios (49), fustium etiam quandoque, aut relegationis (50); qui ex incendio, aut ruina rapuissent, plectebantur quadruplo (51); qui vero ex naufragio, fustium, relegationis, metalli, aut operis publici poena juxta personas, aut rei ablatae aestimationem (52): Atque hac severiore poena constanter eos puniendos crederem, qui seditiosi Populi fervente tumultu, expertes licet scelestorum consilii, furantur, seu porro plus, sive minus; terrorem enim adaugent, ideoque audaciores tumultuosi fiunt in crimine, cujus atrocitatem alibi jam demonstravimus (53).

(49) *Leg.* 1. *et* 2. *ff. de effractoribus, et expilatoribus.*
(50) *Leg. saccularii ff. de extraordinariis criminibus.*
(51) *Leg.* 1. *ff. de incendio, ruina, naufragio.*
(52) *Leg. Pedius ff. eod.*
(53) *Lib.* 2. *cap.* 11.

CAPVT IV.

De peculatu.

XXXVII. Pecuniae publicae furtum peculatus dicitur (1), nomen a pecudibus ductum: Antequam enim cudi, et signari a Romanis nummi coepissent, pecudes simul, et boves pretium rei apud eos constituebant (2), iisque vectigalia solvebantur, et multae, quemadmodum et apud Graecos (3), quorum tunc regio foecunda pecudibus, bubus Italia (4): Primi nummi Romae signati, *Servio Tullio* regnante, aeris fuerunt, argenti deinde, auri denique; et quoniam initio nota signabantur pecudis, cujus loco successerant, ideo nomen generale pecuniae retinuerunt (5), atque hinc fraus quaecunque circa pe-

(1) Ita *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 10. *cap.* 1. *n.* 1.

(2) Permutatio pariter in more ubicunque fuerat *Paul. in leg.* 1. *ff. de contrahenda emptione*.

(3) *Gell. noct. attic. lib.* 11. *cap.* 1., *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 95., *Montesq. esprit des Loix livr.* 22. *chap.* 2.

(4) Ab iis forte sic dicta, bos enim graece vocatur ἰταλὸς *Gell. loc. cit.*

(5) *Plin. natural histor. lib.* 18., *lib.* 33. *cap.* 3.: Non tamen primi Romani; Lydi ante eos aureos, et argenteos nummos percusserant *Herodot. histor. lib.* 1.; et ante eos Hebraei, ut *Abrahae* tempore habemus a *Genes. cap.* 23. *v.* 16.

cuniam, quae in damnum Reipublicae vergeret, dicta fuit peculatus. *Matthaei* definitionem attulimus; furtum publicum definitur crimen a *Festo*; a *Labeone* autem „ furtum „ pecuniae publicae, aut sacrae, non ab „ eo factum, cujus periculo fuit „(6): De sacrae pecuniae furto, seu de sacrilegis dictum est supra; publicae furtum nunc persequi aggredimur, quod primo quidem, cum apud Romanos nulla adhuc exstaret Lex scripta (7), extra ordinem rogationibus ad Populum latis, et cognitione Praetoribus mandata, aut Consulibus, vindicabatur, cujus exemplum in *L. Scipione Africano* exhibet *Livius* (8); deinde quaestione perpetua apud Praetorem certum *Sillae* fortasse temporibus; cum tandem Lex Iulia prodiit, qua *Caesar* et de sacrilegiis sanxit (9); Romani siquidem non minus de publicis rebus, quam de sacris fuerunt solliciti.

XXXVIII. Ex Lege itaque Iulia peculatus tenentur, qui publicam pecuniam auferunt, intercipiunt, in rem suam vertunt; qui in aurum, argentum, aes publicum quid in-

(6) *Leg. sacrilegi §. Labeo ff. ad Leg. Iul. peculatus.*

(7) Rarum olim apud Romanos hoc crimen fuisse, non ut apud Graecos, testatur *Polyb. histor. lib. 6. circa fin.*

(8) *Histor lib.* 38. *cap.* 36.

(9) *Gravin. loc. cit., Heinecc. antiquit. Roman. lib. 4. tit.* 18. *§.* 70. 71.

dunt, immiscent, ex quo pejus fiat, quemadmodum socii, et participes (10); qui, dum in publica moneta, idest monetali officina, operantur, sibi signant monetam forma publica, vel signatam furantur (11); si vero extra officinam, et privatim sibi signent, non peculatus, sed Cornelia nummaria tenentur (12): Peculatus contra, qui ex Caesarianis metallis aurum, vel argentum furantur (13); item qui in publicis tabulis minorem pecuniam scripserint, quam quanti res publicae venditae, aut locatae fuerant, aliudve quid simile commiserint (14); qui pecuniam publicam in usus aliquos destinatam retinuerint, nec erogaverint (15); et qui ex publicis rationibus foenebrem pecuniam, aut simpliciter mutuam scientes acceperint, non secus ac qui dederint (16): Simili modo, qui praedam hostibus captam surripuerint (17); qui tabulam

(10) *Leg.* 1. *ff. eod.*, *leg. unica Cod. de crimine peculatus.*
(11) *Leg. sacrilegii* §. *qui cum ff. eod.*
(12) *Leg. siquis nummos Cod. de falsa moneta.*
(13) *D. leg. sacrilegii* §. *final.*
(14) *Leg. hac lege ff. ad leg. Iul. peculatus.*
(15) *Leg. sacrilegi* §. *final. ff. eod.* Ita quidem *Labeo*; sed *Paulus*, et *Marcianus* actione de residuis teneri eos volunt, ut infra videbimus.
(16) *Leg.* 1., *et* 2. *Cod. de his, qui ex publicis rationibus etc.* Vid. *Cic. in Verr. act.* 2. *lib.* 3. *cap.* 72.
(17) *Leg. is qui ff. ad leg. Iul. peculatus.* Quae tamen praeda recuperatur ab hostibus, dum-

aeream, ubi Leges, vel forma agrorum, aut quid aliud fuerit inscriptum, refixerint, vel quid inde immutaverint, deleverint, aut induxerint (18); sicut qui publicas tabulas inspiciendi, aut describendi copiam concesserint, illo inconsulto, qui tabulis praeest (19): Denique peculator et ille dicitur, qui se Fisci creditorem simulans pecuniam ab altero exigit, quam hic Fisco debebat (20); secus autem, si, qui exegit, ipse quoque simul cum Fisco creditor erat solventis (21).

XXXIX Etiam de pecuniis residuis Lex Iulia sanxit; atque hac actione teneri illos voluit, qui ex locatione, emptione, aut alia quacunque publica administratione pecuniam receptam profiteri ad aerarium, aut in publicas rationes referre omisissent, vel professam, atque relatam retinuissent penes se ultra annum; ante enim hoc tempus meri debitores Fisci habebantur (22): Huc pariter

modo non amissa turpiter, haec ad priores Dominos jure postliminii redit *leg. navibus*, *leg. si captivus §. expulsis ff. de captivis, et postliminio reversis*.

(18) *Leg. qui tabulam ff. ad leg. Iul. peculatus*: Sicut praeda, quae in unum conferta, non ut nunc, inter milites dividebatur apud Romanos, ita pariter agri, quorum forma ad praecavendas fraudes in aere incidebatur *Matth. d. cap.* 1. *n.* 4.

(19) *D. leg. sacrilegi §. Senatus ff. eod.*

(20) *Cit. leg. §. eodem capite*.

(21) *Leg. peculatus nequaquam ff. eod.*

(22) *Leg.* 4. *§. lege Iulia, leg. cum eo ff. eod.*

pertinere *Paulo*, et *Marciano* illos placuit, qui eos in usus, ad quos destinata pecunia publica fuerat, ipsa retenta, non erogassent (23), dum interim *Labeo* peculatus teneri, ut supra notavimus, ait, et merito quidem, quoties qui aliter destinatam pecuniam retinet publicam, intervertendi causa retineat; atque sic distinguendo utraque Iurisconsultorum sententia componi posse videtur.

XL. Furtum non ab eo factum, cujus periculo pecunia publica fuit, peculatum *Labeo* dixit; hoc autem sic accipiendum, ut non ideo vacent hoc crimine ipsius pecuniae administratores, quaestores, aerario praefecti, cum hi administrent quidem, ut ait *Matthaeus* (24) „ cogant, curent, non „ tamen suo periculo, ideoque, siquid inter- „ ceperint, peculatus rei fiunt „ quod idem aperte colligitur ex nuper allatis Codicis Legibus. Illos itaque solum Romanum Ius excludit, quibus vel custodienda eorum periculo pecunia publica traditur, aedituos scilicet (25), vel trajicienda (26); quos ta-

(23) *Leg.* 2., *leg.* 4. §. *sed et qui ff. eod.*

(24) *D. cap.* 1. *n.* 7., *Voet. ad pandect. lib.* 48. *tit.* 13. *n.* 1.

(25) Aeditui a tuendis aedibus dicti, ubi pecunia publica a Romanis deponebatur; aeditimi antiquitus *Gell. noct. attic. lib.* 12. *cap.* 10.

(26) *D. leg. sacrilegi* §. *Labeo*.

men, ubi morantes fuerint, residuarum teneri post *Glossam* nonnulli volunt, aliis interim contradicentibus ea quippe ratione, ut ipse observat *Matthaeus*, quod periculo imposito cum eis de crimine decisum sit, et tanquam debitores privati habeantur.

XLI. Apud Nos peculatus tenentur ex patria Lege (27) et Arcarii, et quicunque pecuniam, aut quidquid aliud administrant, quod vel ad Principem, vel ad Civitates, aut Municipia, vel ad alia quaelibet publica Instituta pertineat, siquid surripuerint, aut inde fraudis admiserint in rei publicae damnum; hoc idem de eorum gestoribus: Ipsi etiam exactores provinciales tenentur, etsi quantitatem, non speciem debeant, atque eorum periculo cautionibus praestitis pecunia sit, ex quo caeteroquin, ubi morantes, residuarum, ut supra notavimus, argui possent (28); qui tamen illis exactam furantur pecuniam, cujus, cum quantitatis sint debitores, dominium in eos translatum dicitur, non peculatum committunt, sed furtum (29): Secus autem, si illis furentur, qui speciem debent, quocunque porro loco hoc ipsi munus exerceant, distinctione rejecta, quae ex

(27) *Lat.* 9. *Septembr.* 1681. §. 8.
(28) *Raynald. observat. crim. cap.* 14. §. 21. *n.* 35.
(29) *Paolett. d. tit.* 1. §. 7.

Papiniani responso (30) a quibusdam affertur inter Urbem, quam μητρόπολιν dicunt, et Civitates subjectas (31); quod quidem Iurisconsulti responsum, quoniam praecedenti Imperatorum *Trajani*, atque *Hadriani* rescripto adversatur (32), ideo mendum aliquod, librariorum fortasse culpa, prae se ferre nonnulli dubitant (33).

XLII. Hac Lege illos quoque teneri satis perspectum est, qui Principis jussu vectigalia exercentes (34), aut quidquid aliud ad regalia, ut dicunt, peculiariter pertinens, tributa exacta intervertunt in detrimentum Reipublicae maximum, cujus ad sustentanda regiminis onera haec exigere interest; neque enim, ut apud *Tacitum* „ quies gentium

(30) *In leg.* 83. *ff. de furtis* „ ob pecuniam Ci- „ vitati subtractam actione furti, non crimine „ peculatus tenetur „

(31) *Decian. tractat. crimin. lib.* 8. *cap.* 28. *n.* 11., *Paul. de Castr. consil* 141. *n.* 14.

(32) *In leg.* 4. §. *final. ff. ad leg. Iul. peculatus.*

(33) *Bynkershoek. observat. jur. Rom. lib.* 4 *cap.* 4., *Legg. ad Matth. d. cap.* 1. *n.* 5.; *nec* ante *non* in antiquo exemplari legisse testatur *Alciat. lib.* 1. *dispunct.* 4.

(34) Triplex apud Romanos vectigal fuit; portorium ex invehendis, aut evehendis mercibus; decuma ex agris publicis; scriptura ex pastu pecorum in silvis publicis *Burmann. de vectigal. Pop. Roman.*, *Sigon. de antiqu. jur. civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 16., *Cicer. pro Leg. Manil. cap.* 6.

„ sine armis, neque arma sine stipendiis, „ neque stipendia sine tributis „ (35), nec Reipublicae administratio sine impensis haberi queunt: Non tamen pari mensura perpenditur ex Legibus nostris eorum calliditas, qui vectigal debitum fraudant (36); in eos enim poenae pecuniariae statutae sunt, et quandoque mercis amissio (37); haec autem semper (38), ubi mercis legitime jam manufactae pretio praefinito venditio constituat vectigal, ita quidem ut ipsa merx aliter vetita sit, quemadmodum sal (39), et

(35) *Histor. lib.* 4. *cap.* 74.

(36) Hi siquidem furtum *negativum*, ut *Filangerius* ait, committunt, illi *positivum scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 47. *tit.* 5.: Secus autem, ubi de fraude cum exactoribus ipsis, eorumve administris convenerint; tunc enim puniuntur ut socii criminis.

(37) *Leg.* 19. *Octobr.* 1791.

(38) *Cod. Leopold.*§. 105. 106.; Poena commissi etiam apud Romanos vigebat *leg. commissa ff. de publicanis, et vectigalibus.*

(39) Salis vectigal et apud Hebraeos in more fuit *Machab. lib.* 1. *cap.* 10 *v.* 29., et apud Romanos *Liv. histor. lib.* 29. *cap.* 22., *leg. liber Homo ff. de haeredibus instituendis*, *leg. inter publica ff. de verbor. significat.*, *leg. siquis Cod. de vectigalibus*. Advenae, qui exterum sal introducunt, exilio etiam puniuntur *d. Cod. Leopold. loc. cit.* Poena olim erat capitis juxta *Leg.* 2. *Decembr.* 1701. *cap.* 14., non sine publicatione bonorum: O tempora, o mores!

. . . . . quae nigris huc mitti dicitur Indis
Herba, tamen capiti prodest, fluidumque cerebrum
Emungit . . . . (40),

italico sermone *tabacco*, herba, quae a novo Orbe ad caeteras regiones advecta fere nunc ubicunque radices agit, et ad maturitatem perducitur.

XLIII. Peculatus poena ex Lege Iulia, praeter quadrupli multam (41), interdictio aquae, et ignis fuerat, cui deportatio successit (42); progressu autem temporis ad capitale usque supplicium poena pertracta fuit (43), quam postea sustulit *Leo* Imperator (44): Illi vero, in quos actio de pecuniis residuis instituta fuisset, praeter pecuniam, quam ipsi debebant, tertia insuper ejus parte multabantur, seu triplo, ut alii, fortasse non recte, autumant (45). Ad Nos quod attinet, peculatus qualitas eadem ipsa mensura exag-

(40) *Sectan. sat.* 5. *lib.* 1.; Vid. *Cantin. illustrat. leg.* 11. *Maj.* 1645.
(41) *Leg.* 6., *leg. penult. ff. ad leg. Iul. peculatus.*
(42) *Leg.* 3. *ff. eod.*; exilio etiam, aut metallo puniebatur quandoque *leg.* 6. §. *siquis ff. eod.*
(43) *Leg. unic. Cod. de crimine peculatus*, §. *item lex Iulia peculatus instit. de publicis Iudiciis*,
(44) *Constit.* 105.
(45) *Leg.* 4. §. *sed et qui ff. eod.*, *Gravin. d. cap.* 95., *Duaren. ad d. leg. Iul. cap.* 5.

gerat furtum, qua caeterae, de quibus dictum est supra, ideoque eadem crimen plectitur poena (46), quae quidem gravior multo, et ad extremum usque supplicium ex anterioribus patriis Legibus indicta fuerat: Nec autem quinquennio, sicut apud Romanos, hoc crimen praescribitur (47), sed ut singula quaeque furta decennio (48).

CAPUT V.

De abigeatu.

XLIV. Qui pecora e stabulis furantur, aut pascuis, unum quidem ex majoribus, quatuor, aut quinque ex mediis, decem ex minimis, abigeatus crimen committunt, seu porro eodem, sive diverso tempore media surripiant praestitutae quantitatis, vel minima; si numero minora auferant, non abigeatus

(46) *Cod. Leopold.* §. 75. Quamvis pluries citata *Lex anni* 1651., cui solum quoad poenam derogatum videtur, idem in eos statuat, qui speciem, et qui quantitatem cautione praestita debent, mitius tamen cum his juxta superius notata agendum crederem.
(47) *Leg. peculatus crimen ff. eod.*
(48) *D. Cod. Leopold.* §. 114.

actione tenentur, sed furti (1): Ad minimam classem pertinent oves, atque itidem caprae (2); ad mediam sues; ad majorem, seu maximam equi, boves, et bubali, multoque magis cameli; muli, et asini pariter huic classi sunt referendi, sed quoniam minus pretio aestimabiles, duo muli juxta *Matthaeum* (3) requiruntur, tres asini, ut qui hos, vel illos furantur, abigeatus argui possint.

XLV. Nec autem vel minima sexus ratio est habenda, quidquid aliter ad equos quod attinet scripserit *Paulus* (4), cujus quidem sententia, etsi forte mendosa non sit, et mendosam non esse contra opinionem *Cujacii Schultingius* contendit (5), quoniam Romanum in Ius, ut observat *Matthaeus* (6), relata non est, merito rejicienda videtur, quemadmodum rejectam legimus alteram cir-

(1) *Leg.* 1., *et* 3. *ff. de abigeis*, *leg. aut facta* §. *quantitas ff. de poenis.*
(2) *Raynald. observat. crim. cap.* 14. *n.* 100.
(3) *Lib.* 47. *ff. tit.* 8 *cap.* 1. *n.* 4.; aliter tamen decisum fuisse apud Nos notat *Paolett. d. tit.* 1. §. 6.
(4) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 18. §. 1, „ Abactores „ sunt, qui unum equum, duas equas, totidem„ que boves, vel capras decem, aut porcos quin„ que abegerint „
(5) *Ad Paul. sentent. d. tit.* 18. *not.* 3.; Conf. *Ulpian. collat. Mosaic.*, *et Roman. leg. tit.* 11 §. 3., *Papian. respons. tit.* 4.
(6) *D. cap.* 1. *n.* 2.

ca numerum boum; non enim duo, sicut vult *Paulus*, sed unus ablatus sufficit, ut abigeus quis dici possit (7), dummodo et hoc, et aliud quodcunque pecoris genus domitum sit, ad maturitatem videlicet perductum; ideoque siquis vitulum subtraxerit, equulum, pusillos sues, haedos, aut agnos, furtum, non abigeatum, committit (8).

XLVI. Non tamen furti, neque abigeatus tenetur, qui alienum pecus abduxit, quod non temere quidem, aut quaesito colore, sed justis rationibus, controversia licet pendente, suum putabat; sicut nec ille, qui ideo abduxit, ut, quod sibi debebat Dominus, simili modo repetere ab illo posset: Sed quoniam uterque sibi jus dixit, quod reddere solius est Iudicis, hinc neque prior, nec multo minus alter imputatione vacabit hoc titulo, utcunque, ad priorem quod attinet, proprietatis controversia „ ad examinationem civi-„ lem, sic *Saturninus*, sit remittenda „ (9).

XLVII. Quod de abigeatu Romanum Ius hactenus, hoc idem pluries citata Lex patria sanxit, atque hoc insuper, ut abigeatus actio obtineat, quocunque demum ex loco abla-

(7) *Callistrat. in d. leg. 3. ff. de abigeis* „ equum unum, vel bovem abigeatus crimen „ facere „.

(8) *Paolett. d. tit.* 1 *§. 6.*

(9) *D. leg.* 1. *§. qui pecora ff eod.*, *Cremani. de jur. crim. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 4. *§.* 5.

tum sit pecus, ideoque non solum ex stabulis, armentis, aut gregibus, et dum gregatim pascebat, sed etiam oberrans, et in solitudine; quod secus ex Iure Romano, a quo furti, non abigeatus actio in eum decernitur, qui oves oberrantes, vel equos in solitudine relictos abduxit (10): Id pariter Lex patria statuit, ut aeque abigeus sit, qui mediae classis quatuor, minimae decem, et qui promiscue tot numero utriusque classis furatus fuerit, ut aequiparetur proportio, quinque nimirum oves, aut capras, duo sues (11): Quod autem plenius ille sit coercendus, qui e stabulo pecus abegit, ut *Callistratus* ait, quam qui a silva, vel grege (12), ita accipiendum juxta *Matthaeum*, quoties qui abegit e stabulo vim adhibuerit (13).

XLVIII. Adeo frequens hoc crimen, utcunque privatum (14), apud Romanos fuisse legimus in septem praesertim Regionibus, quas

(10) *D. leg.* 1. §. *abigei autem ff. eod.*
(11) *D. leg.* 9. *Septembr.* 1681. §. 7. „ E s' intenda abigeato, quando si ruba un animale „ grosso, o quattro de' mezzani, o dieci de' „ piccoli, o promiscuamente mezzani, e pic„ coli alla detta proporzione „
(12) *D. leg.* 3. *ff. eod.*
(13) *D. tit.* 8. *cap.* 2. *n.* 2., ubi sententiam *Cujacii*, qui ex Auctoribus graecis *lenius*, non *plenius* legendum ait in *textu*, sic distinguendo studet componere.
(14) *Leg.* 2. *ff. eod.*

Romae proximas *urbicarias*, vel *suburbicarias* vocabant (15), ut Imperatores *Valentinianus*, et *Valens* ad compescendam raptorum audaciam, qui equitatu facilius hujusmodi, et alia perpetrabant facinora, equorum usum iis in locis generatim vetuerint, personis tantummodo exceptis in honore, aut dignitate aliqua positis, in quas nulla propterea suspicio sceleris argui posset (16). Poena Romano Iure statuta juxta modum admissi nunc gravior fuit, nunc levior; qui enim gladio abegissent, objiciebantur bestiis; qui iis in locis, ubi frequentius hoc crimen, damnabantur ad gladium (17); caeteri vel metallo, vel opere publico plectebantur, vel, si honestiores, relegatione, aut ordinis amotione (18). Apud Nos abigei ex nuper citata patria Lege juxta aestimationem ablati pecoris ad mortem usque poterant plecti; nunc autem abigeatus qualitas eadem ad poenam mensu-

(15) *Gothofred. in Cod. Theodos. lib. 9. tit.* 30. *leg.* 3.
(16) *D. lib.* 9. *Cod. Theodos. tit.* 30. *leg.* 1.
(17) Disputant autem hic Eruditi de genere poenae, utrum nempe ludi gladiatorii fuerit, an extremi supplicii gladio irrogandi, quanquam et ipsa quoque ludi gladiatorii poena ad mortem perduceret, ut ex *Paulo* notat *Voet. ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 14. *n.* 2.; Vid. tamen *Matth. d. cap.* 2. *n.* 3., *Creman. de jur. crim. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 7. §. 6.
(18) *D. leg.* 1. *ff. eod.*

ra perpenditur, qua peculatus (19): Quod si deficiente numero pecorum abigeus fur dici nequeat, non ideo aeque recedendum erit a poena, ac si furtum simplex patrasset (20).

CAPUT VI.

De rapina.

XLIX. Rei mobilis furtum per vim illatam personae rapina dicitur (1); rei mobilis, inquam, res enim immobiles, ut initio notavimus, non surripi, sed invadi dicuntur, ideoque actio de vi, quae descendit ex Lege Iulia, succedit (2): Vim autem rapinae nomine eam non solum intelligimus, quae corpori, sed etiam quae animo infertur, ita quidem, ut idem sit rem Domino, aut ipso praesente, qui impedire nequeat, rapere, aut illum cogere, ut licet invitus confestim suis manibus tradat (3); impos porro Dominus

(19) *Cod. Leopold.* §. 75.
(20) *D. leg. anni* 1681. §. 7.
(1) *Boehmer. d. sect.* 2. *cap.* 12. §. 144.
(2) *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 4., *Boehmer. d. cap.* 12. §. 146.
(3) *Boehmer. loc. cit.* §. 147., *Carpzov. pract. crim. quaest.* 90. *n.* 68., *Raynald. d. cap.* 14. *n.* 94., *Renazz. elem. jur. crim. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 12. §. 2. *n.* 2.

redditur vel ex praepollentibus raptoris viribus, vel quod numero plures in eum irruerint, vel minarum, et armorum terrore. Plerique concussionem dicere malunt, cum terrore compulsus rem ipse Dominus tradit, concussionem minus propriam tamen; propria enim concussio ex Romanorum Iure ad illos refertur, qui vel publica auctoritate abutuntur, qua pollent (4), vel illam simulant, ut monuimus alibi (5), vel falsam criminationem, aut testimonium in Iudicio minantur (6).

L. Verum sive rapinam, seu concussionem juxta patrias Leges dicamus (7), id parum refert, cum poena sit eadem, nec minus improbus fur ille sit, qui propriis manibus rapuit, et qui terrore imposito, quem „metum „ concutientem „ *Cicero* vocat (8), Dominum coegit, ut traderet quo momento ipse idem rapere paratus erat; fur improbus, dixi (9),

(4) *Gloss. in leg.* 1. *ff. de concussionibus*.
(5) *Lib.* 2. *cap* 12. §. 66., *ubi not.* 8. plenam ipsam *Donelli* definitionem retulimus.
(6) *Leg.* 2. *ff. eod.*
(7) *Cod. Leopold.* §. 76., *leg.* 30. *August.* 1795. §. 19.
(8) *Tusculan. quaest. lib.* 4. *cap.* 8.
(9) Furtum non esse Romani Iurisconsulti dixerunt, ubi voluntas, utcunque coacta, adfuisset *leg. si cum exceptione* §. *qui vim intulit ff. de eo, quod metus causa*, et ibi *Brunnemann. n.* 20., juxta illud *Pauli in leg. si*

non secus ac ille tonsor, de quo *Martialis* (10), qui stricta novacula divitias rogat,

.........nec enim rogat illo tempore tonsor,

Latro rogat ....

Quod si terror id praestitit, ut, quod scelestus petierat, consequatur in posterum, tunc, ubi illa desint, quae propriam concussionem Romano Iure constituunt, actio quod metus causa ex ipso Iure succedit, qua Praetor quidquid idcirco gestum rescindit, nec ratum habet (11), itemque actio de vi, ut juxta modum admissi plectatur qui eam intulit (12).

LI. Metus autem, et terror aeque, ut praesentibus, infertur absentibus, per nuntios nimirum, aut litteras, quibus improbi Homines tristia minantur, ut id consequi possint, in quod intendunt; quae quidem species violentiae ob nimiam fortasse illius olim fre-

mulier §. *si metu ff. eod.* „ quia quamvis, „ si liberum esset, noluissem, tamen coactus „ volui „; quod quidem principium Stoicam doctrinam redolens, ut *Heinecc.* observat *part.* 1. *pandect. lib.* 4. *tit.* 2. §. 467., merito inter alios retundit *Lampred. Iur. public. univers. part.* 1. *cap.* 10. §. 7. *not.* 1.

(10) *Epigramm.* 59. *lib.* 11.

(11) *Leg.* 1. *ff. eod.*, ideoque restitui jubet quidquid extortum fuerat, poenamque quadrupli intra annum decernit in contumacem *d. leg. si cum exceptione* §. *si quis*, §. *item actio instit. de actionibus*, et ibi *Happrecht. n.* 3.

(12) *Voet. ad pandect. lib.* 4. *tit.* 2. *n.* 17.

quentiam apud Nos, sicut alibi, adeo patriis Legibus invisa fuerat, ut ipsum etiam conatum pariter, ac perfectum flagitium vindicatum voluerint (13): Nec minus olim frequentia fuisse legimus potentiorum, et scelestorum Hominum istiusmodi prope generis ausa, et facinora (14), quae, utpote hodie inaudita, referre supervacaneum puto; quemadmodum ignotus nunc σκοπελισμοσ, olim apud Arabes frequens, appositio videlicet in agris lapidum, qui indices lethi forent cultoribus (15).

LII. Ad rapinam pertinet crimen, quod opportunitate ducti Pragmatici, minus utcunque latine, recaptum dixerunt, quodque a *Raynaldo* sic definitur „ apprehensio, et „ retentio Hominis facta per vim, et ad ef„ fectum extorquendi pecuniam „ (16): Hoc porro crimen ipsa etiam rapina turpe magis, et improbum esse, effectu sequuto, nemo non videt, cum sola retentio Hominis, quocunque tendat, grave sit scelus (17); gravius autem, quo turpior retinendi fuerit causa.

LIII. Bonorum raptores Romano Iure

(13) *Leg.* 31. *Octobr.* 1637; *Leg.* 15. *Ianuar.* 1744. §. 6.

(14) De quibus late *Matth. d. lib.* 47. *ff. tit.* 5. *cap.* 2., qui etiam Romanorum Leges adversus praepotentes recenset.

(15) *Leg. saccularii* §. *sunt quaedam ff. de extraordinariis criminibus*.

(16) *D cap.* 14. *n.* 91.

(17) Vid. *lib.* 2. *cap.* 18.

extra ordinem coercebantur quandoque dupli, aut quadrupli multa (18), licet cum accusatione privata simul publicum Iudicium concurreret Legis Iuliae de vi (19); publicae quidem, si vis illata cum armis fuisset, privatae, si sine armis, quo casu vis plectebatur publicatione tertiae partis bonorum (20), in altero autem casu interdictione aquae, et ignis, deportatione deinde (21). Severius apud Nos olim ex patriis Legibus vindicabatur hoc crimen; si enim vi armorum, aut Gentium patratum fuisset, furcae supplicium reos manebat (22), quae poena ipsi etiam conatui indicta fuit (23): Rapina autem simplex, ubi scilicet vis armorum abesset, aut Gentium, juxta rei ablatae pretium triremibus plectebatur, aut furca; hac porro poena, quoties quomodocunque laesus a raptore fuisset vim passus (24). Ex posterioribus Legibus, ubi recentiorem excipias (25), criminis poena citra

(18) *Leg. si vendidero §. cum raptor, leg. siquis egerit ff. de furtis, leg. 1. ff. de vi bonorum raptorum*; multa pecuniaria plectebatur hoc crimen etiam apud Hebraeos *Levitic. cap. 6. v. 2. 5.*
(19) *Matth. d. lib. 47. ff. tit. 2. cap. 2. n. 2.*
(20) *Leg. 1. ff. ad leg. Iuliam de vi privata.*
(21) *Leg. qui dolo §. final. ff ad leg. Iuliam de vi publica, §. item lex Iulia de vi instit. de publicis Iudiciis.*
(22) *D. leg.* 31. *Octobr.* 1637.
(23) *D. leg.* 15. *Ianuar.* 1744. §. 6.
(24) *Leg.* 9. *Septembr.* 1681. §. 9.
(25) De qua vid. *lib.* 3. *cap.* 11. §. 86. *not.* 19.

mortem statuta fuit, atque opere publico semper, quoties ad crimen gravandum aut laesio personae, aut cujuscunque generis arma concurrerent, quidquid hoc casu vel minimum reus fecisset lucri (26).

Caeterum, siquando in Hetruria ad meliorem, ut antea, frugem se receperint Homines, ideoque extremum supplicium adversus raptores delendum ratio politica suaserit *Cre-man. d. lib.* 2. *cap.* 4. *artic.* 10. §. 5., id statuendum crederem, ut publici operis poena constanter maneret scelestos id generis, quidquid minimum etiam rapuerint; perpetua quidem, ubi furtum passus, aut familiares, aut alius quicunque ad impediendum intentus vulneratus fuerit; ad longum tempus, ubi vis armorum, aut Gentium, quae interdum Lictorum nomen usurpant, terrorem induxerint; ad minus longum, his deficientibus, atque hoc metiendum gradatim ex circumstantiis reliquis.

(26) *D. Cod. Leopold.* §. 76. 77., *d. Leg.* 30. *August.* 1795. §. 19.

CAPUT VII.

De grassatione.

LIV. Rapinae crimen, ipsum utcunque grave, gravius etiam habetur, cum publicis in viis committitur; tunc autem grassatio dicitur (1), ab impetu nempe gradiendi, quo, ut ait *Calvinus* (2), fur viatores adoritur, grassari enim generatim significat vehementer, et pleno gradu incedere: Alio etiam sensu quandoque usurpatum hoc nomen a Latinis legimus; assentatores nanque (3), et Poetae ipsi, qui hac arte aliena convivia parasitorum more appetebant, grassatores vocabantur (4): Ad nostram rem idem *Cicero* hoc nomine utitur (5), et crimen intelligit, quod nunc persequimur; crimen rapina gravius, ut dixi, cum Reipublicae summopere intersit itinera publica non tam favore commercii, quam ut conjunctio inter Homines, et conversatio servetur, peculiari modo protege-

(1) *Raynal. d. cap.* 14. *n.* 66.
(2) *Lexic. juridic. verb. grassari.*
(3) Hinc *Horat. sat.* 5. *lib.* 2.
Stes capite obstipo, multum similis metuenti,
Obsequio grassare . . . .
(4) Ita ex *Catone Gell. noct. attic. lib.* 11. *cap.* 2.
(5) *De fato cap.* 15. „ hoc enim modo viator „ quoque bene vestitus causa grassatori fuisse „ dicetur, cur ab eo spoliaretur „

re (6), ideoque juxta alibi allatum principium ibi severius animadvertere in crimen, ubi major est delinquendi facultas, et minor praecavendi modus (7).

LV. Grassatores, et obsessores viarum ferro ut plurimum, et armis instructi haec facinora audent, atque ipsos etiam viatores quandoque afficiunt vulneribus; quapropter, si sola ratione loci, inermes utcunque, gravius, quam caeteri raptores, delinquunt, multo gravius profecto, quoties armati, eoque semper, quoties et rapiant simul, et feriant: Hinc, ubi saepius, tametsi neminem vulnerassent, scelus hoc admisissent, latronibus utpote proximos, capite plecti eos voluit Ius Romanorum (8).

LVI Ab his piratae vix differunt, ac ne vix quidem, praedones illi videlicet, qui maria commercio Populorum communia assiduis incursionibus obsident quodammodo, naves onustas mercibus aggrediuntur, et spoliant, nec vitae ipsorum nautarum parcunt, ubi praesertim conentur resistere: Adversus hoc genus Hominum cum unaquaeque Potestas,

(6) *Raynald. d. cap.* 14. *n.* 76.
(7) Vid. *Cic. pro Sext. Rosc. Amerino cap.* 40.
(8) *Leg. capitalium ff. de poenis* „ grassatores, „ qui praedae causa id faciunt, proximi latronibus habentur, et, si cum ferro aggredi, „ et spoliare instituerunt, capite puniuntur; utique, si saepius, atque in itineribus hoc admiserunt „.

ut alibi dixi (9). vindictae jus habeat, optandum sane, ut quotquot sunt Populorum Reges vires simul conferrent ad illud delendum (10): Hisce profecto nequicquam *Iulius Caesar* indulsit, dum prehensus ab ipsis circa Pharmacusam insulam apud eos captivus quadraginta prope dies non sine summa indignatione exstitit; ut enim lytro persoluto se redimere potuit, confestim classe deducta insequutus eosdem, et in potestatem redactos in cruce suffigi jussit, ut refert *Svetonius* (11).

LVII. Qua poena grassatores Romanum Ius coercuerit, ubi saepius deliquissent, jam vidimus; caeteri enim vel damnabantur in metallum, vel relegabantur in insulas (12): Piratas ipse etiam *Pompejus* expugnaverat undique; eorum autem reliquiis, qui supplices adierant Ducem, terras longe a mari colendas concessit (13); quod quidem invidi ejus carpserunt, *Vellejus*, et *Plutarchus* defendunt, data enim facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit. Ex Legibus nostris sola qualitas loci, vi interveniente, adeo exaggerat furtum, ut aeque puniatur, ac, si quisquis alibi illud est passus, laesus quomo-

(9) *Lib.* 3. *cap.* 11. §. 88.
(10) Ita *Creman. d. artic.* 10. §. 3. *not.* 2.
(11) *In Iul. Caesar. cap.* 4. *et* 74.
(12) *D. leg. capitalium* §. *eod.*
(13) *Plutarch. in vita Pompei.*

docunque fuerit (14): Caetera, quae superessent notanda, notavimus in altero capite.

CAPUT VIII.

De falsitate.

LVIII. Fraudulenta veritatis imitatio, aut suppressio in damnum alterius, etiam possibile, facta falsitas dicitur (1): Haec *Matthaei*, et aliorum definitio accuratior sane videtur definitionibus *Pauli*, quarum altera (2) „ falsum est quidquid in veritate non „ est, sed pro veritate asseveratur„, altera (3) „ videtur id esse falsum, siquis chi„ rographum alienum imitetur, aut libellum, „ vel rationes intercidat, vel describat, non „ qui alias in computatione, vel in ratione „ mentitur „; neutra enim earum id omne complectitur, quod falsitatis titulo Cornelia

(14) *Cod. Leopold.* §. 77., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 19.

(1) *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 1., *Heinecc. part.* 7. *pandect. lib.* 48. *tit.* 10. §. 214., *Mascard. de probat. conclus.* 739. *n.* 12., *Bajard. ad Clar.* §. *falsum n.* 7.

(2) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 25. §. 3., *et collat. Mosaic.*, *et Roman. leg. tit.* 8. §. 6.

(3) *In leg. quid sit falsum ff. ad Legem Corneliam de falsis.*

Lex persequitur, a Dictatore hujus nominis lata, quam testamentariam, nominariam *Cicero* vocat (4), de his enim falsitatis generibus caverat, et cui postea varia Senatus Consulta accesserunt, ac Principum Constitutiones, quae ad quasi falsum pertinent.

LIX. Falsitas, ut opportune observat *Paolettus* (5), vel ad personas, aut res refertur, vel ad scripta, vel verba; de hoc postremo falsitatis genere disseruimus alibi (6); de caeteris nunc disserendum: Interim animadvertisse juverit non omne quodcunque fallaciae genus huc pertinere; cum enim innumerae sint fraudes, quibus Hominem Homo circumvenit, ubi speciatim Lex non providerit, stel-

(4) *Act.* 2. *in Verrem lib.* 1. *cap.* 42., qua tamen Lege non jus aliquod novum, ut ipse ait, Populo constitutum fuit; sed antiquiorum memoria periit jampridem *Heinecc. antiquit. Roman. lib.* 4. *tit.* 18. §. 63.

(5) *D. lib.* 4 *tit.* 5.

(6) *Lib.* 2. *cap.* 2. *et* 16.: De hoc falsitatis genere non Lex Dictatoris, sed posteriora Senatus Consulta caverunt *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 100., licet jampridem etiam fuisset cautum a Decemviris; Legem exhibet idem *Gravin. lib.* 2. *cap.* 59 ,, Si falsum ,, testimonium dicassit, saxo dejicitor ,,: Frequentissimum apud Graecos hoc scelus fuisse notat *Cic. in orat. pro L. Flacco cap.* 4., unde illud tritum inter eos proverbium ,, *Σάνεισον μοι μαρτυρίαν* ,, Da mihi testimonium mutuum ,,

lionatus actio succedit (7), quod crimen promiscue etiam cum falso plerique Iurisconsulti insequuntur (8).

LX Ad personas porro quod attinet, falsitatis tenentur qui partum supponunt (9); hoc autem crimen et publicum esse, ita quidem, ut Iudex ex officio inquirere possit (10), et decennio praescribi (11) ex Legibus nostris non est ambigendum: Ita pariter falsi dicuntur, qui sibi nomen immutant, sublime genus, parentes, et diplomata, aut stemmata effingunt, ut alios decipiant (12); sola tamen mutatio nominis, ubi alterius detrimentum absit, criminatione vacat (13); nec caeteroquin inquiritur ex officio apud Nos in falsitatem id generis, quoties crimen, quod simili mentito nomine quis committere potuit, aut committere conatus est, privatum fuit; ejus enim naturam sequitur falsitas, quae ad illud audendum accessit (14).

LXI Re committitur falsitas, cum pondera, vel mensurae publice probatae in damnum alterius adulterantur (15): His autem et illos

(7) *Leg.* 3. *ff. de crimine stellionatus.*
(8) *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 8. §. 2.
(9) *Leg.* 19. *et* 30. *ff. ad Leg. Cornel. de falsis.*
(10) *Brunnemann. in d. leg* 30. *ff. eod.*, *Boss. de partu supposito n.* 38.
(11) Vid. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 96.
(12) *Leg. falsi*, *leg. eos qui ff. eod.*
(13) *Leg. unica Cod. de mutatione nominis.*
(14) *Paolett. d. tit.* 5.; vid. supra *cap.* 1. §. 20.
(15) *Leg. hodie ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

addendos nonnulli putant, qui merces corrumpunt, piperi videlicet pulverem, farinae arenam, vino calcem, butyro sevum miscentes, quorum fraudes acriter etiam coercentur aliunde, quatenus obsint saluti, ut alibi dictum est (16); item et illos addunt, qui aromata loco subterraneo condunt, ut humor augeat pondus, qui pannis vilioribus falsa apponunt sigilla, qui summa parte sacci mitia collocant poma, acerba, et putria inferius, et tot alios fraudatores hujusmodi, quos tamen rectius cum ipso *Matthaeo* stellionatus teneri crederem, cum hoc idem crimen *Ulpianus* illis objectet, qui supposuerint, aut corruperint merces (17): Falsitatis contra tenebitur, qui ad vectigal fraudandum adulterina sigilla apposuerit mercibus, eorum instar, quae vectigali soluto a publicis apponuntur Ministris, aut quid simile falsum circa illas admiserit: Simili modo falsitatis tenebitur, qui in manufactis operibus auri, aut argenti falsa impressserit signa eorum imitatione, quae in fidem sinceritatis imprimere ad Ministros publicos attinet ex recenti patria Lege (18).

(16) *Lib.* 3. *cap* 9. §. 67.
(17) *In leg.* 3. § *sed et siquis ff. de crimine stellionatus*, *Matth. d. cap.* 1. *n.* 16.
(18) Lat. 22. *Decembr.* 1817. §. 30., qua pariter cavetur in alias id generis fraudes; illud insuper cautum §. 31., pecuniariis hoc casu indictis poenis, ne quis opus ejusmodi ali-

LXII. Ita quoque re falsum comittunt, qui terminos amovent, quos, uti finium regundorum, et concordiae mutuae foedera inter possessores finitimos, Deorum in numero falsa Romanorum religio ex *Numae Pompilii* institutis retulerat, adeo quidem, ut violasse terminum capital esset juxta Legem, quam ex *Festo* refert *Gravina* (19), eique solemnia sacra prope Calendas Martias peragerentur (20). Non eadem sane religio nunc obtinet circa hujusmodi crimen; graviter tamen delinquunt, qui terminos amovent, aut alio dirigunt, ut fundi finitimi partem usurpent (21); gravius etiam, si non agrorum,

quod perficere, ac vendere audeat, quod non antea publici Ministri signaverint, ad vitii avertendum periculum; vid. *leg.* 9. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel de falsis*.

(19) *De orig. jur. lib.* 2. *cap.* 22. „ quei termi„ nom exarassit, ipsus, et boveis sacrei sunto „, *Dionys. Halicarnass. lib.* 2., *Liv. histor. lib.* 1. *cap.* 21., *Plutarch. in vita Numae Pompilii*, Hinc *Iuvenal. sat.* 16.

Aut sacrum amovit medio de limite saxum.

(20) *Ovid. Fastor. lib.* 2.

Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.

et paulo post

Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.

Horat. epod. od. 2.

Vel agna festis caesa Terminalibus.

(21) *Leg. Divus ff. de termino moto*, *Clar.* §. *final. quaest.* 83., *Bonifac. de furtis* §. 9. *n.* 81., *Filanger. scient. Legislat. lib.* 3. *cap.* 54.

sed Territorii terminos quacunque ex causa scienter amoverint: Quod si dolus absit, cessabit haec actio; nec autem, qui parum cautus amovit, plene excusabitur ratione damni, et ad illud sarciendum ex ipsa etiam levissima culpa tenebitur.

LXIII. Praesertim vero ad falsitatem, quae re perpetratur, nummaria pertinet: Cudendae monetae jus cum ad Majestatem spectet (22), quisquis alius privatim nummos percusserit falsum committit (23), etiamsi forte bonitatis ejusdem sint, sicut legitime cusi (24); falsa enim semper, ut *Gothofredus Constantini* verba repetens ait (25), est fusio, et caeteroquin via facilis recluderetur fraudibus (26) in detrimentum Reipublicae maximum, cujus summopere interest monetam sinceram, esse; quippe qua, singulis de justo, et constanti ejus pretio, ut merces aequiparet, monitis, a monendo enim dicitur (27),

(22) *Leg. siquis Cod. de falsa moneta, Lampred. Iur. publ. universal. part. 2. cap. 3. §. 19.*
(23) *Leg. 9. ff. ad leg. Corneliam de falsis.*
(24) *Duaren. ad lib. 48. ff. tit. 10. cap. 1., Matth. d. tit. 7. cap. 4. n. 1., Voet. ad Pandect. lib. 48. tit 10. n. 7., Boehmer. d. sect. 2. cap. 32. §. 332., Renazz. elem. jur. crim. lib. 4. part. 3. cap. 5. §. 2.*
(25) *In Cod. Theodos. lib. 9. tit. 21. leg. 3.*
(26) *Gothofred. d. tit. 21. leg. 10., Vattel. jur. Gent. lib. 1. cap. 10. §. 107., Lampred. d. §. 19. n. 6.*
(27) *Cic. de divinat. lib. 1. cap. 45., lib. 2. cap. 32.*

securo, et celerius, quam earum permutatione (28), commercium internum, atque externum absolvitur, ex quo Populorum emergit felicitas (29).

LXIV. Simili modo nummariae falsitatis tenentur (30) „ quicunque nummos aureos „ partim raserint, partim tinxerint, vel finxerint „, qui videlicet vel radunt legitimos, vel aereos inaurant (31), aut fingunt, ad quod avertendum falsitatis periculum plumbeos nummos, aut stanneos vendere, atque emere ipsa pariter Cornelia Lex vetat (32): Generaliter autem tenentur, ut *Paulus*

(28) *Paul. in leg.* 1. *ff. de contrahenda emptione*.

(29) *Hum. specim. politic.* 1. *circa commerc.*, *Vattel. d. lib.* 1. *cap.* 8. §. 85. 86. Hinc non nisi falsae politicae, et μισανθρωπίαν redolenti tribuenda videtur *Lycurgi* Lex, qua mercium compensatione, ut ait *Iustin. histor. lib.* 3., singula jussit emi, nummisque aureis, et argenteis abrogatis, intractabilis ferri substituit moles juxta *Plutarch. in ejus vita*.

(30) Ita *Ulpian. in leg* 8. *ff. ad Leg. Cornel. de falsis*.

(31) *Matth. loc. cit. n.* 2.; ubi *Hotomani* opinionem rejicit, qui *strinxerint* legendum putat; *Bynkershoekius* autem *cinxerint*, qui nempe ex circulo quid abraserint *observat. Iur. Rom. lib.* 4. *cap.* 21.

(32) *Leg.* 9. §. *eadem lege ff. eod.* Apud enim Romanos ex solo auro, argento, aere nummi cudebantur, quapropter Triumviri monetales auri, argenti, aeris Flatores dicti fuerunt *Legg. ad Matth. loc. cit.*

ait, qui nummos aureos, argenteos adulterant, lavant, conflant, radunt, corrumpunt, vitiant, vel vultu Principum signatam monetam, nec adulterinam, reprobant (33): Lavare autem communiter hic intelligitur in aquam, quam dicunt chrysulcam, nummos immergere ad pretiosi metalli quid detrahendum (34): Conflare juxta *Gothofredum* significat nummos dissolvere in detrimentum commercii (35), atque etiam fortasse in Principis irreverentiam, cujus signabantur effigie (36): Huc quidem pertinere videntur postrema ipsius *Pauli* verba; sin potius id callidum fuit reprobantium consilium, ut collybum inde perciperent sub vetustatis nummorum quaesito colore, aut quod orbe minore imago Principis impressa foret (37).

LXV. Illos etiam Romanum Ius addidit, qui, crimen prohibere cum possent, non pro-

(33) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 25. §. 1.
(34) *Matth. loc. cit.*, *Cremân. d. lib.* 2. *cap.* 3. *artic.* 3. §. 6.
(35) *D. lib.* 9. *tit.* 23. *leg.* 1.
(36) *Ad text. in leg.* 1. *et* 3. *Cod. de veteris numismatis potestate*.
(37) *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 101., *Gothofred. d. lib.* 9. *tit.* 22., ubi id etiam notat quosdam sub primis Christianis Imperatoribus contra exstitisse, qui pristinae, et falsae religioni addicti, novis Principum posthabitis nummis, praeferebant antiquos vultu Imperantium signatos religionis ejusdem, quam ipsi etiamnum profitebantur.

hibuissent (38); *Constantinus* id pariter statuit, ut prae Domini incuria domus publicaretur, ubi falsa moneta cusa fuisset, quoties Dominus ipse in vicinia habitaret; secus autem, si longius; praemia insuper iis proposuit, qui scelus hoc denuntiassent (39); quae tamen omnia apud Nos, titulo laesae Majestatis deleto, qui crimini inductus fuerat (40), non amplius vigent. Hinc supervacanea est quaestio, utrum, ut subditi, alienigenae teneantur, cum non sui Principis monetam adulterant, quos teneri, dissentientibus aliis (41), placuit aliis, ea quippe ratione, quod, cum usus monetae, qua Populi commercium exercent invicem, sit Iuris Gentium (42), omnium intersit monetam sinceram esse, ac damnum, et incommodum par ex illius adulteratione sustineant subditi, et non subditi Principis, cujus prae se fert effigiem, aut signum (43); supervacanea, inquam, quaestio haec est apud Nos ex patria Lege, quae titulo Majestatis deleto aequa omnes teneri vult (44).

(38) *D. leg. 9. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.*
(39) *Leg. 1. et 2. Cod. de falsa moneta.*
(40) D. *leg. 2. Cod. eod.*
(41) *Decian. tractat. crim. lib. 7. cap. 27. n. 12., Carpzov. pract. crim. quaest. 42. n. 78.*
(42) *Leg. 1. §. final. ff. de contrahenda emptione.*
(43) *Raynald. observat. crim. cap. 15, §. 1. n. 11.*
(44) *Cod. Leopold. §. 94.*

LXVI. Caeterum quoque non idem, ut olim, rigor hodie viget in eos, qui conflant pecuniam; quin etiam ob non exiguum quantitatis incrementum dissolutionem ubique fere toleratam videmus, nec aliter ipsa pecunia consideratur, quam alia quaecunque merx, qua Dominus, ut libet, utitur (45). Ita pariter collybus hodie Trapezitis permittitur; neque enim genus idem nummorum est ubicunque, ut ideo instar furti improbetur collybus, quemadmodum a *Cicerone* improbatur adversus *Verrem* (46): Exoticam itaque, et peregrinam pecuniam permutare cum patria, moderato percepto collybo, aut minus raram cum rara, communem cum non aeque recepta (47), non solum licitum, sed utile imo esse potest ad internum, multoque magis externum fovendum, atque expediendum commercium, non secus ac illa merces, quae ad alibi persolvendam pecuniam a Trapezitis percipitur (48).

(45) *Creman. d. artic.* 3. §. 8.

(46) *Act* 2. *lib.* 3. *cap.* 78. „ haec omnia, Iudi„ ces, furtorum improbissimorum sunt voca„ bula, nam collybus esse qui potest, cum utan„ tur omnes uno genere nummorum? „

(47) Nummis tamen apud Nos exceptis, quos externos, et vilioris metalli retinere, et impendere est vetitum ex patrio *Edicto* 13. *April.* 1768., et ex praecedentibus aliis: Vid. *Paolett. d. lib.* 4. *tit.* 4., ubi singulas nummorum hujusmodi species recenset.

(48) *Lampred. Iur. publ. universal. part.* I. *cap.* II. §. 19.

LXVII. Quod autem de stanneis, aut plumbeis nummis Ius Romanorum statuit, sic accipiendum, ut simplicis conatus teneantur qui eos cudunt, emant, et vendunt, ut tinctos deinde monetae instar impendant; nec unquam perfecti sceleris argui possint, quoties non usque eo nummi istiusmodi imitentur legitimos, ut illos impendere facile sit (49); falsum enim juxta definitionem non est, quod neque nocuit, nec etiam nocere poterat: Caeterum vero, siquis numismata, vilioris quidem metalli, radiantia tamen ut aurum, quibus communiter Homines utuntur in ludis alearum praesertim, aureas inter incautum vulgus, et rude simulans monetas esse, fraudulenter impenderit, aut permutaverit, quod aliquando accidisse notum est satis, non falsitatis tenebitur, sed stellionatus, tanquam dolosus, et mendax (50); neque enim quid aliunde commune cum aureis legitimis nummis haec numismata habent, ideoque imitatio veritatis abest; quod idem de illis dicendum, quae argenteo albescunt colore.

LXVIII. Scriptis denique falsum committunt qui Principis Rescripta imitando fingunt (51), quemadmodum qui simili modo

(49) *Paolett. loc. cit.*
(50) *Leg. siquis in pignore ff. de pigneratitia actione, leg. 1. ff. de crimine stellionatus.*
(51) *Leg. 3. Cod. Theodos. lib. 9. tit. 19., leg. 1. tit. 35., et ibi Gothofred.*

Praetoris nomine falsas litteras reddunt, vel falsum proponunt Edictum (52); et generaliter, qui alienum imitantur chirographum, libellum, aut syngrapham (53); qui rationes intercidunt, aut describunt (54); qui absentis nomen quasi praesentis inserunt in instrumento, vel locum stipulationis, aut tempus in ipso mentiuntur (55), ut pigneratores persaepe facere notat *Brunnemannus* (56); qui falso instrumento scienter subscribunt, vel verum delent, vitiant, surripiunt, celant, vel adversario produnt (57), quo casu re potius,

(52) *Leg. qui nomine ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

(53) Quae scilicet instar pecuniae numeratae habetur.

(54) *Leg. quid sit falsum ff eod.*, quo illos pertinere *Farinacius* monet „ qui procurant sibi „ sigillari, vel subscribi chartas vacuas, et al„ bas ad effectum scribendi in illis quod verum „ non est „ *quaest.* 150. *n.* 92.

(55) *Ad text. in leg. optimam Cod. de contrahenda, et committenda stipulatione, authentic. ut praeponatur nomen, seu novell.* 48., *Voet. ad Pandect. lib.* 48. *tit.* 10. *n.* 5., *Bald. in leg.* 15. *ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

(56) *In leg. si a debitore ff. eod.*

(57) *Leg.* 1. *§. is qui, leg. Paulus. ff. eod.* Huc illi etiam pertinent, qui alienas aperiunt litteras; de iis autem sic distinguendum, utrum nempe curiositatis vitio, an ad secreta scribentis prodenda, ut hi falsi, illi stellionatus teneantur *Matth. d. tit.* 7. *cap* 1. *n.* 7., *Raynald. observ. crim. cap.* 18. *§.* 22. *n.* 36. *et seq.*

quam scriptis falsum videntur committere, non secus ac illi, qui testamentum amovent, celant, eripiunt; quod enim de instrumentis caeteris, hoc idem de testamentis dicendum: Quapropter siquis illa aut falsa penitus scripserit, aut quomodocunque addendo, vel delendo vitiaverit vera, falsi tenetur (58); quasi autem falsi, si quidpiam sibi, vel suis, jussu licet testatoris, ascripserit contra Libonianum Senatus Consultum, et *Claudii* Edictum (59), quod utrum ad *Neronem*, an vero ad *Drusum* illius antecessorem pertineat, Eruditi disputant (60); quia porro ad evitandas captiones inductum fuit, ideo statim cessat, simul ac ipse testator subscripserit (61), quod quidem apud Nos ex patria Lege in solo testamento solemni obtinet (62).

LXIX. Testes perjurii, propterea et falsi

(58) *Leg.* 2. *ff. eod.*
(59) *Leg. Divus ff. eod.*
(60) *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 100., *Legg. ad Matth. d lib* 48. *ff. tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 4.
(61) *Leg. si testator Cod. de his, qui sibi adscribunt in testamento*, et ibi *Brunnemann.*
(62) *Leg.* 15 *Novembr.* 1814. Hujusmodi quasi falso poenam pecuniariam Statutum Florentinum indixit *lib.* 4. *de arte Iudic. et Notar. rubric.* 12. Vid. *Sabell. in pract §. Notai n.* 69, *qui n.* 41. 42. poena extraordinaria plectendos Tabelliones ait, si vel solemnitates statutas in testamento, aut instrumento omiserint, vel falsum confecerint, quod nullum tamen caeteroquin fuisset.

teneri diximus alibi (63), quoties aut falsa ut vera asseverent, aut vera ut falsa, aut ipsa vera scienter, ac dolose dissimulent (64): Quod falsum testes committunt verbo, hoc scriptis Notarii, qui eorum testimonia in acta referunt, ubi aliter scripserint, quam quod illi dixerant (65): Hoc idem dicendum, siquid aliud id generis falsum aut ipsi, aut alii quicunque in officio positi admiserint, ideoque ipsi etiam Nuntii tenentur, qui falsum aliquod apud acta retulerint (66); atque in haec quidem omnia aliae etiam actiones juxta qualitatem admissi concurrunt, praevaricationis videlicet, auctoritatis publicae abusus, repetundarum, concussionis, calumniae, quae crimina persequuti jam fuimus.

LXX. Falsi poena apud Romanos ex Lege Cornelia interdictio aquae, et ignis fuerat (67), cui deportatio successit; ultimum

(63) *Lib.* 2. *cap.* 2. §. 11.; Vid. *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 2.

(64) Fallere enim, ut ait *Ammian. histor. lib.* 29. „ non minus videtur, qui gesta praeterit „ sciens, quam ille, qui nunquam facta fin„ git „

(65) Neque etiam in chartulis breviter acta, in Praetorio praesertim, notare possunt; secus pecuniaria multa puniendi sunt juxta *Leg.* 15. *Maj.* 1579.

(66) *Paolett. d. lib.* 4. *tit.* 5.

(67) *Leg. ult. ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

autem supplicium in servos (68): Verum non omne falsum quodcunque pariter coercebatur; aliud enim gravius, mitius aliud juxta varia ipsius genera punitum deinde fuisse constat ex eorum Legibus (69). Prae caeteris vero in falsitatem summariam acrius animadversum fuit ob titulum laesae Majestatis injectum; hujusmodi enim reos flammis tradendos *Constantinus* edixit (70), cujus exemplo poenam eandem Statutum Florentinum decrevit (71). Hodie autem apud Nos in falsarios id generis sive monetam adulterinam flaverint, seu legitimam vitiaverint, Ius aliud, ut supra notavimus, viget; puniuntur enim non secus, ac illi, qui furtum committunt qualitate gravatum, adeo tamen, ut ad publicum opus perpetuum poena pertrahi possit (72), quae

(68) *Leg.* 1. §. *final. ff. eod.*

(69) Relegatione adulteratio mensurarum, et ponderum *leg. hodie ff. eod.*; relegatione pariter, opere publico, verberibus, aut multa pecuniaria terminorum amotio *leg.* 1. 2. *et* 3. *ff. de termino moto.*

(70) *Leg.* 2. *Cod. de falsa moneta.*

(71) *Lib.* 3. *rubric.* 129.

(72) *Cod. Leopold.* §. 94. 95. Plus etiam, quam contra fures, extendi posse in crimen hoc poenam Lex non immerito vult ratione damni privati simul, et publici: Nam, ut falsitatis increbuit rumor, singulis cavere coactis, retardantur negotia, et moneta ipsa legitima, quam falsarius imitandam elegit, existimatione decrescit quodammodo: Neque

poena eos pariter manet, qui ipso ab initio concordes monetam ejusmodi impendunt; quod, si quantitas fuerit modica, mitius cum illis agitur; mitius item cum illis, qui scienter utcunque monetam impendant, non tamen praecedens consilium cum falsariis inierant; mitius eo semper, si illam acceperint inscii, scientes impenderint: Etiam qualitatis monetae videtur habenda ratio, ut lenius coerceantur qui metalli vilioris, quam qui auream, aut argenteam adulterant; haec enim ubicunque Gentium impenditur, altera vix patrias plateas egreditur, ideoque minus universali commercio falsitas nocet. Falsum scriptis commissum, quo aeque, ut auctores, recitatores tenentur, qui illo scilicet scienter utuntur (73), plus, minusve punitur ex eadem patria Lege; etiam opere publico ad tempus, quoties aut circa Rescripta Principis, aut circa scripturas publicas (74)

porro ad poenae diminutionem deducendum pretium videtur, quod adulterina moneta, vindicanda commisso, prae se fert intrinsecus, ut putant nonnulli *Paolett. d. lib.* 4. *tit.* 4., *Cremann. d. artic.* 3, §. 11. Quid, si bonitatis ejusdem fuerit, ac legitime cusa? Quid, si eam, quae forte legale superaverat pretium, falsarius ad legale redegerit? Ideo ne indulgendum dicemus? Minime vero.

(73) *Leg.* 2. *ff ad leg. Cornel. de falsis*, *leg. majorem Cod. eod.*, *Matth. d. cap.* 1. *n.* 3., *Clar.* §. *falsum*.

(74) Publicae autem dicuntur, quae in publi-

versetur falsitas, ubi praesertim ille ipse deliquerit, cujus custodiae concreditae fuerant, atque ita quidem, tametsi nullum hinc damnum emerserit: Ad scripturas privatas quod attinet, poena perpenditur in ratione injuriae, vel damni, quod falsitas hujusmodi aut attulit, aut afferre potuerat (75), quodque jus etiam in spe complectitur, pretio ipsum quoque aestimabile (76); eadem porro mensura quaecunque alia falsitas, quatenus per se delictum publicum, vindicanda videtur; quae autem fallacia privato crimini inest, atque illud informat, haec illius naturam sequitur (77), ita tamen, ut gravius id ipsum ex qualitate hujusmodi coerceatur, qualitas porro, quae stellionatui, de quo nunc dicendum, constanter inhaeret.

cis Tabulariis servantur, quae in Acta publica relatae fuerint, et quas publici Tabelliones vallaverint.

(75) *D. Cod. Leopold.* §. 93.

(76) *Ad text. in leg. nec emptio ff. de contrahenda emptione, leg. spem futurae Cod. de donationibus, Rot. Rom. decis.* 631. *part.* 2. *recent. n.* 4.

(77) *Paolett. d. lib.* 4. *tit.* 5.

CAPUT IX.

De stellionatu.

LXXI. Quaecunque fraus, sive, ut *Boehmerus* ait (1), quodcunque imposturae improbioris genus ad falsi crimen non relatum, stellionatus diciter: Latius id ipsum *Ulpianus* de stellionatu statuit, nempe quod illis objici possit, qui dolo quid fecerint „ si aliud „ crimen (sic ille) non sit, quod objiciatur; „ quod enim in privatis Iudiciis est de dolo „ actio, hoc in criminibus stellionatus per- „ secutio; ubicunque igitur titulus criminis „ deficit, illic stellionatum objiciemus „ (2). A quodam lacertae genere, quae stellio a Latinis dicebatur, nomen derivatum ajunt, ideo quod nullum animal fraudulentius isto invideat Homini (3), quo sensu Venus irata filium Cupidinem stellionem vocat apud *Apulejum* (4).

LXXII. Grave mihi, et benigno Lectori permolestum esset singula referre genera fraudis, quae ad crimen privatum hoc attinent; innumera enim esse et praeterita, et quotidiana exempla nos edocent; praecipua

(1) *D. sect.* 2. *cap.* 31. §. 323.
(2) *In leg.* 3. *ff. de crimine stellionatus*.
(3) *Plin. natural. histor. lib.* 30. *cap.* 12.
(4) *Metamorphos. lib.* 5. *prope fin.*

contentus attingere, ab iis, quae ipse profert *Ulpianus*, incipiam: Ille itaque stellionatus tenetur, qui rem alteri obligatam, dissimulata obligatione, alteri vendit, aut quomodocunque distrahit (5); qui aes prignori dat, et aurum esse ait (6); qui merces supponit, vel obligatas avertit, aut corrumpit (7); qui se divitem simulans, aut patremfamilias, et mercis pretium se confestim soluturum promiserit, aut idoneas praestiturum cautiones, venditorem interim fraudat (8); et generaliter „ qui imposturam fecerit, vel collu-

(5) Huc pertinet qui fundum sibi forte locatum, se Dominum simulans, alteri vendidit; nec enim furti argui potest, quod rerum immobilium non fit, quidquid aliter olim *Sabinus* scripserit *Gell. noct. attic. lib.* 11. *cap.* 18.: Caeterum, si mobilem rem aut vendiderit, aut pigneraverit, quae ad ejus manus pervenerat titulo inhabili ad transferendum dominium, furti apud Nos tenebitur, quod minus proprium diximus; stellionatus actionem adversus illum Romano ex Iure exercere poterat bonae fidei emptor, aut pignerator *leg. ult. ff eod*, *leg* 2. *Cod. eod.*, et ibi *Brunnemann.*; nunc autem haec actio cum altera furti, quam Dominus exercet, confunditur, et Iudex unicuique eorum providet.

(6) *Leg. cum aes ff. de furtis.*

(7) *Vid. §.* 61.

(8) *Leg. falsus creditor §. siquis, leg. siquis uxori §. Senatus ff. eod.*

„ sionem in necem alterius „ (9), quam quidem fallaciae speciem in eo *Matthaeus* effingit (10), qui vendituro majus offerat pretium, non tanquam empturus, sed ut alium hiantem inducat; qui alii tristia nuntiat, veluti hostis adventum, ut praedium vilius vendat; qui rem venalem dolose exornat, ut emptor insaniat cupidus (11).

LXXIII. Ex allatis *Ulpiani* exemplis facile patet huc decoctores dolosos pertinere (12), mercatores videlicet, qui specioso hoc titulo illos decipiunt, et fraudant, a quibus pecunia, vel merces iis creditae fuerant (13): Caeteri quoque omnes huc pertinent, qui debita superiora viribus contrahunt; nam, si non verbis, facto saltem decipere videntur (14),

(9) Ita *Ulpianus in d. leg. 3. ff. de crimine stellionatus*. Item qui sciens indebitum petit, et exigit *ad text. in leg. si fidejussor §. in omnibus ff. mandati Raynald. vot. crimin.* 143.

(10) *Lib* 47. *ff. tit.* 13. *cap.* 1. *n.* 6; Vid. etiam quae de dardanariis ait *lib.* 48. *tit.* 9., quatenus, salva libertate commercii, qua fruimur, actione doli quandoque teneri possint.

(11) Simile fraudis genus eleganter describit *Cic. lib.* 3. *cap.* 14. *de offic.*

(12) *Stracch. de decoctor. part.* 3. *n.* 33., ubi ipsa *Ulpiani* repetit verba in *d. leg. falsus creditor.*

(13) Vid. *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 7.

(14) *Bartol in leg. siquis cum haberet ff. quae in fraudem creditorum, et in leg* 1. *Cod. de jure Fisci, Pufendorf. de offic. Hom. et Civ. lib.* 1. *cap* 9. §. 17.

praesertim vero, si, ut ait *De Luca* (15) „ debita contraxerint pro vitiosis dissipationibus, non autem ex justa necessitate „ atque usque adeo debita superent vires, ut qualiscunque, remota licet, solvendi spes absit: Quod enim scripserat *Paulus* non, nisi ex magna, et evidenti calliditate doli actionem competere (16), ita interpretatum voluisse videtur patria Lex (17), ut etiam culpa valde effraenata eundem praestet effectum.

LXXIV. Non minus improbum, quin etiam turpius genus illud est fraudis, quam concordes cum nautis quandoque mercatores committunt, quando videlicet navem onerasse mercibus, et naufragium deinde fecisse simulant in detrimentum eorum, qui pro mercibus secure transferendis spoponderant; periculi enim pretium iniquis fraudatoribus, nisi fraus detegatur, coguntur solvere: Atque huic affinis ipsorum nautarum est fraus, qui merces reapse oneratas, simulato naufragio, ad sui commodum distrahunt, eodemque tempore et sponsores, et mercium Dominos fallunt; quarum fraus altera ad stellionatum accedit, altera ad minus proprium furtum; utraque tamen actione publica apud Nos vin-

(15) *De credit., et debit. discurs.* 153. *n.* 2., *Barbeyrac. ad Pufendorf loc. cit. not.* 3.
(16) *In leg. et eleganter §. final. ff. de dolo malo.*
(17) Lat. 15. *Mart.* 1782. §. 17.

dicanda, ut alibi diximus (18); quod crimen etiam aliunde publicum est, quatenus fraudatores hujusmodi apud Iudicem infortunium testantur perjuri.

LXXV. Quamplurimas pariter in ludis alearum praesertim committi fraudes nemo est, qui ignoret, sive quod chartas, tesseras, talos aleatores adulterent, vel agilitate manuum supponant, sive quod subdoli simul colludant ad minus cautos, vel ipsos etiam spectatores fraudandos, qui forte spondeant partem sequuti, quam collusione certantium peritiorem existiment, sive aliis id generis callidissimis artibus (19): Hinc porro fortunarum ruina (20), hinc rixae, hinc caedes (21), hinc caetera consectaria malorum, ad quae

(18) *Cap.* 2. §. 28.

(19) Cum noti jamdudum fuissent Conductoribus ludi quorundam ingeniosi conatus ad resciendos Florentiae momento temporis τῆλεγραπτῶς igne numeros extractos Massae, hinc dubitatum est, num criminis ipsi argui possent, ideo quod, numeris in ludo statim relatis inscii institoris consensu, insignem sibi comparassent victoriam sub anno 1746.; pro crimine decisum ad Iudicibus fuit.

(20) Atque hinc *Horat. epist.* 18. *lib.* 1.

Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat.

(21) *Id. Horat. epist.* 19.

Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram,
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

cuncta avertenda Romanarum exemplo (22) patriae. Leges aleae lusum praesertim publicis vetant in Locis (23), pariterque sponsiones, ita quidem, ut etiam solutae repeti possint (24): Ipsis quoque gymnasticis ludis modum imponunt, ac tempus (25), quorum exercitationem solummodo Romanum Ius concesserat (26), hasta videlicet, pilo, cursu, saltu, lucta (27), caeteris vetitis, in quibus non virtus, sed sors vel totam, vel magnam sibi vindicasset partem.

LXXVI. Ad stellionatum similiter pertinet ficta mendicitas; qui enim se fingit mendicum veros pauperes fraudat, ut ait *Iodocus* (28), multoque magis qui vel infortunia, vel morbos insuper simulat, quemadmodum ille vafer ephebus, quem apud Belgas damnatum idcirco fuisse refert, quod, sanus

(22) Post Legem Publiciam, et Titiam, quam *Talariam* vocat *Plaut. in milit. glorios. act.* 2. *scen.* 2., lata fuit Cornelia Lex, cui, et Praetorio Edicto se referunt Leges *Digesti* sub *tit. de aleae lusu, et aleatoribus*.

(23) Prae caeteris Lex 13. *April* 1773, quae pecuniarias indixit poenas; nec tamen ludere vetuit honesti solatioli causa privatis in domibus; Vid. etiam *Leg.* 24. *Mart.* 1781.

(24) *Leg.* 4. *Ianuar.* 1776.

(25) *Leg.* 17. *April.* 1781.

(26) *Leg. solent ff. eod.*, *leg. alearum* 15. *Cod. de religiosis, et sumptibus funerum*.

(27) *Heinecc. part.* 2. *pandect. lib.* 11. *tit.* 5. §. 258.

licet, ac vegetus, in superinducta subucula ulcera, et foetidas plagas effinxerat, stipemque largiter comparatam hac fraude, falsa postmodum deposita veste, profundebat inter scorta, et tabernas, atque improbum hoc vitae genus alternaverat pluries, ut ipsemet fassus est in Iudicio. Illi etiam fraudatores quodammodo considerari possunt (29), quos ad inopiam, et ad mendicandum, validos utcunque, perduxit ignavia, et pigritia, quam „ metum consequentis laboris „ definit *Cicero* (30): In mendicantes validos id statutum Romano Iure legimus, ut qui illos detexerat, eosdem vel tanquam servos, vel tanquam colonos juxta conditionem acquireret (31), quos postea *Iustinianus* tradi arti-

(28) *Prax. crim. cap.* 112. *n.* 55., *Carpzov. pract. crim. quaest.* 93. *n.* 72.

(29) *Calderò decis.* 56. *n.* 13.

(30) Tusculan. quaest. lib. 4. cap. 8.

(31) *Leg. unica Cod de mendicantibus validis.* Veteres patriae Leges, quas citat *Sabell. pract. crim.* §. *vagabondi n.* 8., in Subditos, qui validi licet mendicassent, relegationem indixerant, atque etiam triremes, ubi statuto tempore non aliquam sibi artem assumerent, eamque exercerent assidui: Nunc autem post *Leg.* 20. *Iul.* 1743. Politia providet; quemadmodum de illis providet, qui animalia, aut quid aliud ostentant, aut etiam colorem Religionis usurpant, ut quaestum faciant; Vid. *Edict.* 1. *Februar.* 1780., 31. *Octobr.* 1793.

ficibus jussit, ut diuturno labore in operibus publicis victum pararent (32); providum sane institutum, quod utinam, sicut hodie in Urbe apud Nos, ita quoque in singulis Territorii partibus induci posset, adeo quippe, ut invitis non solum, sed etiam operam locare volentibus nec modus, nec deesset occasio (33).

LXXVII. Quod si non subditi, sed alienigenae huc mendicatum venerint, adversus eos exemplum apud est praesto, quae
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent (34),
eosque reapse exulare jubet Lex patria (35), gravius caeteroquin puniendos, siquid praeterea mali aut illi, aut reliqui errones admiserint (36): Persaepe enim hujus furfuris Homines circulatorum, et sycophantarum instar jactitantes remedia, arcana, divinationem, praestigia (37), popellum simplicem fraudant,

(32) *Authentic. collat.* 6. *tit.* 8., seu *Novella* 80.
(33) Vid. *Lampred. Iur. publ. universal. part.* 2. *cap.* 3. §. 3, *Filanger. scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 47. *tit.* 7.
(34) *Virgil. georgic. lib.* 4; Vid. *Plat. de legibus dialog.* 11.
(35) *Cod. Leopold.* §. 55.
(36) *Leg.* 15 *Ianuar.* 1744. §. 11.
(37) Augur, schoenobates, medicus, magus, omnia novit
Graeculus esuriens; in Caelum jusseris, ibit.
Iuvenal. sat. 3.
(38) Vid. quae diximus *lib.* 2. *cap.* 8. §. 40.

et fallunt (38); atque otium interim fovent, et quodammodo infundunt, quo nulla pestis in Republica major inter populares praesertim, qui, ut vitam propterea tolerent, in rapinas, et fraudes gradatim descendunt (39).

LXXVIII. Haec de stellionatu monuisse duximus satis, quod crimen, sicut apud Romanos extraordinarium fuerat (40), ita quoque apud Nos, ideoque actionis instituendae causa, ut ait *textus* (41), perimitur, simul ac damnum passis plene fuerit satisfactum: Ubi autem legitime instituta fuerit actio, satisfecisse non sufficit ex patria Lege (42), eademque crimen plectitur poena, qua minus proprium furtum, quod dolus ipso ab initio informaverit (43); dolus enim et criminis antesignanus est, et crimen ipsum constituit, quod stellionatum dicimus. Quia porro crimen hoc in contractibus illis versa-

(39) Hinc *Amasis* apud Aegyptios severissime in illos animadversum voluit, qui, ut ait *Herodot. histor. lib.* 2., non demonstrarent quotannis se legitime vivere.

(40) *Leg.* 2. *ff. de crimine stellionatus*.

(41) *Leg.* 1. *Cod. eod.*

(42) *Leg.* 30. *August.* 1795. § 5., quae tamen sub § 7. decoctores excipit: Decoctoribus apud Romanos certus inferior locus in Theatro constitutus fuerat ex Lege Roscia „ quamvis „ quis, ut *Cicero* ait, fortunae vitio, non suo „ decoxisset „ *Philippic.* 1. *cap.* 18.

(43) *Cod. Leopold.* §. 79.

tur, quibus, absente dolo, transfertur dominium, ideo qui bona fide rem possidet, non aliter illam reddere cogitur, quam, ubi vel fraudator, vel ipse fraudatus remiserit pretium; neque enim, sicut ad propria, et minus propria furta, aeque ad stellionatum refertur alibi allatum Rescriptum (44), atque ita concorditer decisum legimus pluries a Tribunalibus nostris.

CAPUT X.

De sordido foenore.

LXXIX. Foenus a foetura derivatum ajunt, ideo quod pecunia pariat pecuniam (1), quemadmodum graecum τόκος et foenus, et partum significat; hinc *Cicero* anatocismi nomine foenus illud intelligit, quod ex foenore ipso non soluto post annum, et sorti adjecto percipitur (2). Scriptores canonici, atque etiam civilis Iuris, non secus ac Theologi usurae nomen per metonymiam foenori tribuunt; proprie enim usura nil aliud significat, quam rei cujuscunque usum: Eo autem

(44) *Cap.* 1. §. 17.
(1) *Gell. noct. attic. lib.* 16. *cap.* 12., *Aristot. de Republic. lib* 1. *cap.* 10.
(2) *Ad Attic. epist.* 21. *lib.* 5.

sensu usuram dicunt quidquid ultra sortem, quae data fuerat mutua, exigitur (3), quod vetitum Divino Iure generaliter ajunt juxta illud „ mutuum date, nihil inde sperantes „ (4), nisi forte alii concurrant tituli, ex quibus, ut prae caeteris docet *S. P. Benedictus XIV.*, „ justa omnino, legitimaque „ causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi „ (5).

LXXX. Isti autem tituli, ex quibus in aliud negotium res abit quodammodo, id praestiterunt, ut Romanarum exemplo neque patriae Leges usuras vetuerint, quoties non excederent modum: Usura unciaria major apud Romanos fuerat rudes adhuc, et quasi expertes commercii, ultra quam foenerare vetitum (6); hanc tamen foeneratores auxis-

(3) *Ad textum in can. si foeneraveris, can. final. caus.* 14. *quaest.* 3., *Raynald. observat. crimin. cap.* 16. *n.* 5.

(4) *D. Luc. Evangel. cap.* 6. *vers.* 35., *Deuteronom. cap.* 23. *v.* 19., *Psalm.* 14. *v.* 5., *Ezech. cap.* 18. *v.* 8. 13. 17.

(5) *Epistol. encyclic.* 1. *Novembr.* 1745. §. 3.: Propterea neque ipsi Theologi usuras reprobant, quas restauratorias dicunt, nec moratorias, neque ἀντιχρησιν, dummodo conditiones recurrant, de quibus late *Sacc. instit. Iur. canonic. lib.* 4. *tit.* 7.

(6) *Gravin. de orig. Iur. lib.* 2. *cap.* 47., ubi Legem ipsam exhibet „ siquis unciario foenore „ amplius foenerassit, quadruplione luito „.

se deinde ex illo patet (7), quod querimoniis Populi sub *M. Duillio*, et *L. Moenio* Tribunis unciarium foenus inductum iterum fuerit, compositis jam debitoribus sub altero Tribuno *Licinio*, ut habemus a *Livio* (8); et quoniam nec foenus unciarium aequo animo ferebat Plebs, ideo semunciarium fuisse postmodum factum, et vetitum denique penitus sub *L. Genutio* idem *Livius* testatur (9); Verum id non longum permansit, et usurae, toties utcunque repressae „ miras per artes, ut ait *Tacitus*, rursum oriebantur „ (10); nec autem solum unciaria, sed ultra, ita quidem ut progressu temporis ipsa usura centesima habita legitima fuerit, licet neque hac foeneratores contenti et binas, et ternas, et quaternas (11), quinas etiam usuras

(7) *Heinec. antiquit. Roman. lib.* 3. *tit.* 15. §. 9.
(8) *Histor. lib.* 6. *cap.* 22. *n.* 35., *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 16.
(9) *D. lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 27., *et cap.* 26. *n.* 42.
(10) *Annal. lib.* 6. *cap* 16.
(11) De quaternis usuris testatur *Cic. in d. epist.* 5. *ad Atticum*; quaternae autem ideo dictae juxta *Maevium*, quod quatuor menstrui nummi pro usuris in centum penderentur, quadraginta scilicet octo quotannis, sexaginta quinae redderent, triginta sex ternae, viginti quatuor binae, duodecim centesima, nummum unum unciaria *Montesq. esprit. des Loix livr.* 22. *chap.* 22., *Gravin. loc. cit.*, ubi illorum opinionem retundit, qui unciariam usuram eandem, ac centesimam fuisse

quandoque stipulari non erubuerint (12).

LXXXI. Usuram centesimam habitem denique fuisse legitimam diximus apud Romanos, idque ex *Cicerone* satis compertum esse *Heineccius* cum aliis ostendit (13), multoque magis, ad tempora posteriora quod attinet, ex *Diocletiani* rescripto (14): Quapropter in eos, qui modum excederent, provisum adeo quidem legimus, ut quidquid ulterius pactum fuisset non posset exigi, neque usurae usurarum, et solutum imputaretur in sortem (15). Sed quoniam ipsa etiam usura centesima non poterat non ingravescere in Populum, quam antea forte ob gesta felicia in bello, queis fractas restauraret fortunas, minus aegre ferebat, ut *Montesquieus* observat (16), hinc *Iustinianus* huic quoque usurae imposuit modum, ita porro, ut foenerare liceret usque eo solummodo in

credunt, sic dictam, quod centum post menses aequaret sortem.

(12) De quinis *Horat. sat.* 2. *lib.* 1.

Fufidius vappae famam timet, ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis;
Quinas hic capiti mercedes exsecat . . . . . .

(13) *D. tit.* 15. §. 15., *Gravin. loc. cit.*, *Noodt. de foenore, et usuris lib.* 2. *cap.* 4.

(14) *In leg. si pro mutua Cod. si certum petatur.*

(15) *Leg. Iulianus* §. *idem ff de actionibus empti*, *leg. pecuniae*, *leg. placuit ff de usuris*, *leg. constitutionibus*, *leg. eos qui Cod. eod.*

(16) *D. chap.* 22.

trajectitiis contractibus, et donec navis appulisset ad portum ; minorem usuram juxta personarum conditionem, et statum decrevit in reliquis, centesimae scilicet bessem permisit negotiatoribus, tertiam personis illustribus, semissem caeteris (17).

LXXXII. Haec de foeneratoribus Romano ex Iure notanda duximus, qui quoniam singulis Calendis relectam nuper pecuniam solebant iterum ponere (18), ideo Calendarium exercere dicebantur (19): Nec autem, postquam poena quadrupli jampridem statuta obsolverat, quid aliud adversus eos decretum legimus, draeter infamiam anatocismo indictam a *Diocletiano* (20); *Valentinianus* quidem pristinum restituerat quadruplum,

(17) *D. leg. eos qui, leg.* 1. *Cod. de nautica foenore.*

(18) Hinc *Horat. epod. od.* 2.
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quaerit Calendis ponere.

(19) *Leg. nomen debitoris ff. de legatis, et fideicommissis* 3.; idque ad medium Ianum, nempe medio in loco duas inter statuas Iani, ubi foeneratores convenire solebant *Cic. de offic. lib.* 2. *cap. ult.*, *Horat. sat.* 3. *lib.* 2.
. . . . . . postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est . . . . . .
epist. 1. *lib.* 1.
Virtus post nummos; haec Ianus summus ab imo
Perdocet . . . .

(20) *In leg. improbum foenus Cod. ex quibus causis infamia irrogatur.*

sed nequaquam probatum a *Iustiniano* fuisse satis patet, simul ac in suo Codice Legem recipi noluit, ut *Gothofredus* observat (21), et solum jacturam crediti in eos decrevit, qui foenore vexassent agricolas (22).

LXXXIII. Plurima interim hinc inde scripta fuisse de foenore nemo est, qui ignoret: Abhorrere a Natura, vel extra Naturam esse *Aristoteles*, et *Seneca* dixerant (23), quorum tamen sententiam hyperbolen sapere ex eo solum evincitur, quod nec ipse Deus Hebraeos inter, et Gentiles vetuerit foenus, ut opportune animadvertit *Noodt* (24). Qui modum excedit, nec tristi indigentiae succurrit, cum sine suo incommodo possit, hunc sane humanitatem omnem abjecisse dicemus (25); atque hoc sensu et Sacras Scripturas, et Patres intelligendos esse circa foenus, et mutuum contendit *Maffejus* (26):

(21) *In leg. 2. Cod. Theodos. lib. 2. tit.* 33., *Matth. lib. 47. ff. tit. 16. cap. 6. n. 2.*

(22) *Authentic. nullum credentem*, seu *Novell.* 34.

(23) *Aristot. d. cap.* 10. *de Republic.*, *Senec. de benefic. lib. 7. cap.* 10.

(24) *De foenore, et usuris lib. 1. cap.* 11.

(25) Ita *Lampred. Iur public. univers. p. 1. cap.* 11. §. 18., *Pufendorf. de Iur. Nat. et Gent. lib. 5. cap. 7. §. 9.*

(26) *Lib. 1. cap. 5. et 6., lib. 2. cap. 1. et 2.* operis, cui titulus „ Dell' impiego del da„ naro„ *Lib.* autem 3. *cap.* 1. ad commodatum aeque, ut ad mutuum verba Euangelii referri posse ait.

in posterum, et ad nostra usque tempora: Sapientissimus ipse Legislator Noster simulationes quidem in hoc genere, et fraudes acriter voluit persequi (29); circa modum foenoris siluit, ideoque et temperare, et redigere, quatenus, et quoties oporteat, civilis est Iudicis.

LXXXV. Simulationes itaque, et fraudes, de quibus agendum nunc, crimen illud constituunt, quod mohatra barbaro nomine dicunt (30), cum quis videlicet pecuniae indigo, et quaeritanti pecuniam, merces cariori praeter modum persaepe pretio credit, et pecuniam dedisse mutuam simulat, quam ut debitor comparet, vilius, imo vilissime ut plurimum merces ipsas vendere cogitur; has autem quandoque ipse idem creditor, persona interposita, vilissimo, ut diximus, pretio redimit, mucrone, vel angulo, quemadmodum ajunt, retrorsum converso: Neque hac simulatione contentus plerumque creditor usuras paciscitur, quas foenus utique sordidum redolere nemo non videt; si enim quod modicum pecuniae, quae in manus debitoris pervenit (31), cum illa conferamus, quae

(29) *Cod. Leopold* §. 80. *et seq.*

(30) *Heinecc. elem. jur civil. lib.* 4. *tit.* 7. §. 1227., nostra autem lingua *scrocchio*, *stocco*, *bistocco*, *rit angolo Leotard. de usuris quaest.* 24. *n.* 25, *Caball. resolut. crim. cas.* 188. *n.* 7.

(31) Haec enim vere mutua facta dici posset juxta *text. in leg. rogasti ff. de rebus credi-*

simulata fuerat mutua, et quaternas, et quinas centesimae usuras, etiam interdum ultra, pactas fuisse facile erit agnoscere.

LXXXVI. Haec singula desperata negotia et patriae antiquae Leges (32), atque etiam uberius Codex Leopoldinus proscripsit, ita quidem ut neque post annum, nec unquam circa id generis credita usuras liceat stipulari, mercatoribus tantum exceptis, qui contraxerint invicem (33): Caeteri siquidem, quin similibus, ut forte sperabant, negotiis labentem fortunam sublevent, magis agunt imo praecipitem: Filii porro familias, parandae simili modo pecuniae impotes facti, avertuntur a vitiis, quo Leges potissimum tendunt, non secus ac Macedonianum Senatusconsultum (34), cui nomen effraenus ille Iuvenis tribuit (35), qui ut aleret vitia foenebre alienum aes adhibuerat in Patris mortem acceptum (36).

tis, et in altera *leg. rogasti ff. de praescriptis verbis*, et ibi *Gloss.*, non quae simulata fuit in venditionis contractu.

(32) *Leg.* 3. *April.* 1687., et supra cit.

(33) *D. Cod. Leopold.* §. 82.

(34) *Leg.* 1. *ff. ad S. C. Macedonianum;* vid. etiam *Leg.* 15. *Novembr.* 1814. §. 19. *et seq.*

(35) *Heinecc. histor. Iur. civ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 219.: Alii nomen a foeneratore sumptum volunt.

(36) Hinc. *Iuvenal. sat.* 3.

. . . . funus promittere Patris
Nec volo, nec possum . . . .

LXXXVII. Quandoque, ut fraudem circumtegant, calliditate, et acumine ingenii, quo praecellere suae Gentis Homines in genere hoc notavit Menzinius (37), foeneratores personam supponunt, quae ad merces parandas pecuniam foenebrem det, eamque in solutum retineat, ita quidem, ut sincerus contractus emptionis, et venditionis appareat, qui simulata persona fuerat foenoris pretio mercium impositi (38) Hoc profecto negotium aeque sordescere ex eo patet, quod quaeritanti pecuniam pecunia solummodo ostenditur, merces foenore pacto traduntur; idque idem dicendum, etiamsi pars pecuniae reapse tradita fuerit, reliquum vero sortis constituant merces; quae simulatio parumper ab illa differt, cum quis centum foeneraturus non a numero uno, sed a longe posterioribus incipit (39).

LXXXVIII. Nec autem, tametsi pretium quo merces traditae fuerant, atque etiam

(37) *Sat.* 1:
Intanto voi con artificio raro
Seguitate a dar scrocchj, e il cento a venti
Giusta all' arte, che i Padri v' insegnaro.

(38) Vid. casus apud *Paolett. instit. crim. lib.* 4. *tit.* 9.

(39) Quod siliquarum nomine, aut alio simili titulo retinuisset foenerator, hoc deducendum a sorte *Iustinianus* edixit, nec inde propterea percipi usuras posse in *leg. eos qui §. siquis Cod. de usuris*.

venditae postea, aut parum, aut nihil fortasse a legitimo differat, propterea cessabit actio; Lex enim negotia istiusmodi quomodocunque vetat et quia ruinosa ut plurimum sunt, et ad avertenda pericula (40); huc debitoris accedit incommodum, et jactura temporis, pretio ipsa quoque aestimabilis, ut emptorem inveniat (41). Quoties igitur quisquis indigenti pecuniae sciens crediderit merces non secus ac, si pecuniam dedisset, qualecunque demum mercibus ipsis praestitutum fuerit pretium, toties Legis praeceptum violasse eum dicemus.

LXXXIX. Verumtamen ad poenam quod attinet, quae juxta modum admissi ad opus publicum usque pertrahi potest, minus profecto ille merebit, qui minus attulit damnum: Haec autem et proxenetas manet, et quoscunque socios in crimine: Creditor insuper et

(40) *Leotard. de usuris quaest.* 60. *n.* 22., ideoque, siquando forte particularis, ut ajunt, Legis ratio cesset, universalis non cessat *Grot. de jur. bell. et pac. lib.* 1. *cap.* 3. §. 5. *n.* 3.

(41) *Lopez. de contract. lib.* 1. *cap.* 34. „ Mercator quia ratione mutui obligat illum ad accipiendas merces, quas nequibit postea divendere, aut, si vendat, minori pretio, aut non nisi cum labore, et occupatione personae, usuram committit: Haec conclusio est patens, quia ratione mutui superinducit in mutuatarium hanc obligationem aestimabilem pretio „

sortem, et usuras amittit, quae multarum aerario applicantur; cui pariter debitor, ubi nil adhuc solverit, referre tenetur quidquid percepit ex venditis mercibus, nec ultra, nisi forte quid fraudis in earum venditione admiserit, quod summatim cognoscere ad Iudicem pertinet (42).

CAPUT XI.

De incendio.

XC. Damnum igne datum incendium dicitur: Haec *Lubleri* definitio (1) singulas incendii species comprehendit, dolosum scilicet, culpae imputandum, atque fortuitum: Dolosum incendium illud est, quod consulto excitatur vel inimicitiae causa, vel ad alterum inde perpetrandum delictum, vel ad perpetratum tegendum, per lasciviam etiam quandoque; ubi haec desint, neque aliunde exortum fortuito incendium fuisse constiterit, sed ideo quod vel Homo praetermisit quae prudens debebat facere, vel quae omittere peregit, ipsius culpae imputabitur: Fortuitum autem incendium dicimus, quod aut fulminis vi, aut ex naturalibus insitis causis exo-

(42) *D. Cod. Leopold.* §. 81.
(1) *De incendio cap.* I. *n.* I.

ritur, aut ex favillis subito ventorum impetu evectis longe, aut quod concitaverit amens, vel infans; quemadmodum fortuitum et illud dicitur, quod hostes belli tempore immittunt, aut suscitant (2), vel nostri ipsi Duces, ut commeatibus hosti interclusis incursiones avertant (3).

XCI. Incendium dolo excitatum gravissimum scelus non immerito considerandum est, praesertim vero, si intra Urbem, aut Oppidum; nam, ut ait *Matthaeus* (4) „ praeter „ damnum, quod singulis datur, etiam me- „ tus maximus ad universos redit... quot il- „ lic Homines ad mendicitatem redigun- „ tur (5)? quam facile aut flammis, aut ru- „ entium tectorum pondere aliqui absumun- „ tur? imprimis quod infirmum aut sexu, „ aut aetate „. Capitale quidem hoc cri-

(2) *Lubler. loc. cit. cap.* 2., *Creman. de jur. crim. lib.* 2. *cap.* 5. *artic.* 2. §. 3.

(3) Ex quo prima quidem repetenda videtur eclipsis gloriae, et fortunae strenui nostri temporis Viri.

(4) *Lib.* 47. *ff. tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 3.

(5) Qemadmodum Codrus ille, cui quod minimum fuerat incendium consumpsit, ut apud *Iuvenal sat.* 3.

Nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil; ultimus autem
Aerumnae cumulus, quod nudum, et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.

men apud Romanos constanter fuisse patet ex eorum Legibus: Decemviralem sic habet *Gravina* „ qui aedes, acervumve frumenti „ ad aedes positum dolo sciens incensit, vin- „ ctus verberatus igni necator „ (6); id ipsum repetit *Cajus* (7); fere id ipsum *Ulpianus* (8): *Callistratus* autem (9) „ incen- „ diarii capite puniuntur; qui ob inimici- „ tiam, vel praedae causa incenderunt intra „ Oppidum, plerumque vivi exuruntur; qui „ vero casam, aut villam, aliquanto le- „ vius „.

XCII. Poenam Romani Iuris, quae forte exoleverat, revocandam sanxit patria antiqua Lex (10) contra incendiarios, et agrorum depopulatores: Lex autem posterior in capitalium classem recenseri noluit crimen (11); verumtamen publici operis poena, quam Codex Leopoldinus in hac parte vigens incendiariis indixerat, ad summum usque gradum juxta modum admissi, et pravum scelesti consilium extendi potest: Quod vero incendium non Hominis dolo, sed culpa exortum fuisse constiterit, illud, ubi culpa sit gravis, et lata, vindicatur relegatione, aut exilio,

(6) *De orig. Iur. lib.* 2. *cap.* 64.
(7) *In leg. qui aedes ff. de incendio, ruina, naufragio.*
(8) *In leg. final. ff. eod.*
(9) *In leg. capitalium ff. de poenis.*
(10) Lat. 7. *Septembr.* 1688. §. 8.
(11) Lat. 30. *August.* 1795. §. 13.

ex levi, aut levissima culpa civilis tantum ad damna conceditur actio (12), quod idem Romanorum ex Iure (13).

XCIII. Cum juxta modum admissi, et pravum consilium scelesti magis, minusque intra latitudinem poenae incendium plectendum sit, satis hinc patet maximum profecto gradum eum meriturum, qui ideo excitavit incendium, vel ut in illo periret Homo, vel ad furta, et rapinas patrandas; item qui in Urbe, aut in Oppido, adeo quidem ut late vagantibus flammis gravia emerserint damna, aut pericula; minorem porro ejusdem generis poenam, ubi haec absint. Quod si Homo reapse perierit, ratione homicidii ad capitalium classem revertetur delictum.

XCIV. Iis, qui aedes incendunt, ut Homo pereat, affines et illos esse *Cremanus*

(12) *Cod. Leopold.* §. 85. 86.: Ad evadenda pericula incendii, atque alia, patriae Leges, pecuniariis indictis poenis, domi retinere vetant quantitatis non modicae pulverem, quem ex graeco pyrinon vocant, itemque arma, aut quid aliud hoc pulvere onustum explodere laetitiae causa frequentibus praesertim in locis *Leg.* 16. *Octobr.* 1779., 2. *August.* 1780., 23. *Iul.* 1784.

(13) *D. Leg. Decemviral.* „ ast, si casu, noxiam „ sarcito „, *d. leg. qui aedes* „ si vero casu, „ idest negligentia, aut noxam sarcire jube- „ tur, aut, si minus idoneus sit, levius casti- „ gatur „, *d. leg. capitalium* §. *incendiarii*.

notat (14), qui aedes concutiunt, et quassans eo ipso animo, ut scilicet ruant, atque ibi degentes occumbant misere: Siqnando id fieri possit, ipse quidem non dubito eadem hos quoque perpendendos fore mensura; quemadmodum eadem pariter illos, qui aggeres fluminum rumpunt, ut vis rapida, et furens aquarum segetes, mapalia, pecora, ipsosque pastores eodem in vortice absorbeat, secumque trahat: Aggeres Nili rumpere, et commata capital Romano Iure fuerat, ratione praesertim annonae (15); atque hoc jus idem alibi obtinere observat *Matthaeus* (16), immensa enim, non secus ac ex incendio, ex alluvione profluere damna posse nemo est, qui non videat (17).

(14) *D. artic.* 2. 5. 9.

(15) *Leg. unic. Cod. de Nili aggeribus non rumpendis*, et ibi *Gothofred.*

(16) *D. lib.* 47. *ff. tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 34., *Menoch. de arbit cas.* 386. *n.* 6.

(17) Ea, quae Eridanus quandoque attulit, mirum in modum suo more describit *Ferrariensis Homerus lib.* 40.

Con quel furor, che il Re de' fiumi altero,
Quando rompe talvolta argini, e sponde,
E che nei campi Ocnei s' apre il sentiero,
E i grassi solchi, e le biade feconde,
E con le sue capanne il gregge intero,
E coi cani i pastor porta nell' onde:
Guizzano i pesci agli olmi in su la cima,
Ove solean volar gli augelli in prima.

CAPUT XII.

De caeteris damnis.

XCV. Diminutio quaecunque patrimonii nostri alterius dolo, vel culpa dicitur damnum (1), quod quidem late sumptum ex omnibus fere criminibus proficiscitur; pauca enim sunt illa, quae nobis detrimentum non inferant: Ad hoc sarciendum ille ipse Iudex condemnat, qui poenam crimini statutam decrevit; quod si probationes ad poenam deficiant, de damno Iudex civilis cognoscit (2); quandoquidem hoc reparare, et reficere poena non est, quippe quae ad exemplum, et correctionem indicitur, sed naturale officium, atque obligatio, quae delictum consequitur, quatenus alteri nocuit, seu porro noxa Civium personas respiciat, seu caetera eorum bona (3).

XCVI. Ubi damnum ex crimine referatur ad bona, reparationem decernere facilis momenti res erit; ubi vero ad personam, quae forte laesa, aut vulnerata fuerit, id statuendum, ut impensarum non solum ratio habeatur, atque operarum, qui-

(1) *Matth. d. lib.* 47. *ff. tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 2.
(2) *Cod. Leopold.* §. 112. 113.
(3) *Lampred. jur. public. univers. part.* 2. *cap.* 3. §. 7.

bus carebit, et caruit, sed cicatricum pariter, deformitatis, ipsiusque etiam doloris: Ita quidem contra sententiam *Caji* (4) generaliter hodie receptum est (5), cum praesertim deformitas nos aliis ingratos reddat, in primis vero puellas, quibus non raro instar dotis vultus est gratia, et personae elegantia (6) Quod si occisus fuerit Homo, non ipse quidem aestimationem recipit, verum damnorum aequa ratio est habenda eorum favore (utilis quippe haec actio Romano Iure dicitur, directa altera) quorum interfuit, et quanto unicuique fuit detrimento caruisse interfecti labore, virtute, et industria (7)

(4) *In leg. ex hac ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, leg. cum liberi ff. de iis, qui dejecerint, vel effuderint* „ Cicatricum autem, et deformitatis nulla fit aestimatio; quia „ liberum corpus nullam recipit aestimatio- „ nem „

(5) *Matth. d. tit.* 3. *cap.* 3. *n.* 4., *Voet. ad Pandect. lib.* 9. *tit.* 2. §. 11.

(6) *Vitriar. instit. jur. Nat. et Gent lib.* 2. *cap.* 17. §. 12., *Pufendorf. de jur Nat. et Gent. lib.* 3. *cap.* 1. §. 8., ubi *Hertius* haec opportune addit „ enimvero, si contumelia affe- „ ctus apud Romanos aestimatoria agere po- „ tuit, cur ob deformitatem ab alio factam „ actio non erat? Sane quod dicitur corpus „ liberum non recipere aestimationem, tantum „ eo pertinet, circa liberos Homines non esse „ commercium „

(7) *Voet. loc. cit.*, *Paolett. d. lib* 4. *tit.* 6., *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 7. *artic.* 6. §. 2.

XCVII. Haec monuisse de damno late sumpto sufficiat. Caetera damna, quae nunc persequimur, ea stricte intelligimus, quibus in rebus nostris animatis, aut inanimatis alterius facto, et non jure afficimur, quaeque non aliud proprium nomen criminis habent: In animatis quidem, cum animal nostrum occiditur, aut vulneratur: In rebus autem inanimatis, cum aedificium nostrum diruitur, aquarum ductus corrumpitur, caeduntur arbores, fructusque immaturi leguntur, in segetem lolium, aut avena conjicitur (8), et alia id generis, quae singula enumerare non diligentis, ut *Matthaeus* ait, sed otiosi foret. Non tamen damni, sed furti tenebitur, qui caesas arbores, aut quid aliud alieno ex fundo ad lucrum faciendum tulerit, ut aperte docet *Ulpianus* „ eorum no„ mine, quae de fundo tolluntur, ut puta ar„ borum, vel lapidum, vel arenae, vel fru„ ctuum, quos quis furandi animo decer„ pserit, furti agi posse nulla dubitatio „ est „ (9); quemadmodum furti tenebitur qui eo ipso animo animal nostrum occiderit, ideoque actio, quae caeteroquin ratione damni privata fuisset, publica fiet ex Legibus nostris ratione furti.

XCVIII. Quaedam sunt animalia, quae,

(8) *Leg. si servus servum ff. ad leg. Aquiliam.*
(9) *In leg. verum est ff. de furtis, leg. facienda ff. arborum furtim caesarum.*

ferae utcunque naturae, nostra tamen dicuntur, apes, et columbae nimirum, cervi, et pavones pariter, donec eunt, et redeunt ad alvearia, ad turres, et ad stabula nostra: Qui columbas ex turribus nostris abstulerit, qui nostra alvearia simul cum apibus, eum furti teneri nemini dubium est; idem de pavonibus, et cervis dicendum, quandiu ad nos revertendi consuetudinem servant: Si apes conspectum nostrum evaserint, alioque diverterint, si reverti pavones, et cervi desueverint, fiunt primi occupantis (10): Non item juxta patrias Leges columbae, quas in aperto occidere, aut capere vetitum est, atque haec prohibitio, nidicis tantum exceptis, ipsum quoque turris Dominum tenet; quod quidem providenter inductum fuit ad utilem servandam speciem (11), ideoque ratione publici damni delictum ipsum est publicum multa pecuniaria puniendum, relegatione etiam, et carcere in recidivos; Lictoribus autem publicum opus indictum est (12).

(10) *Leg. Pomponius ff. familiae erciscundae, leg. naturalem ff. de acquirendo rerum dominio*, §. *apium*, §. *pavonum instit. cod.*, et ibi *Vinnius*.

(11) Dominus enim, ut columbarium conservet, nonnullas quotannis ex nido abire sinit.

(12) *Cod. Leopold.* §. 92., *Leg.* 8. *Novembr.* 1791. Quidquid aliter decisum fuerit olim, ut notat *Paolett. d. tit.* 6., nec ipsa in Urbe co-

XCIX. Quae de pavonibus, et cervis diximus, ad caetera quoque animalia sunt referenda, quae ferae ejusdem naturae, ubi condocefacta fuerint, et quandiu a nobis servantur, vel apud nos degunt, nostra dicuntur; ita quidem, ut aeque teneatur qui haec interim furatur, occidit, aut vulnerat, ac si mansueta: Nam ad proprietatem quod attinet hoc solum hasce inter species intercedit discrimen, ut mansueta, nostram licet custodiam evadant quandoque, alioque oberrantia divertant, non ideo nostra esse desinant; caetera non itidem.

C. Quemadmodum porro de damno tenetur nobis qui nostris animalibus nocuit, ita nos pariter, siquid illa fecerint mali, quod nobis imputari possit quodammodo: Hoc illi sane imputabitur, qui animal retinet, cui naturalis insit ferocitas, ursum ex. gr., tigrim, leonem, ubi vel minimum custodiam beluas neglexerit, ex quo factum sit, ut nocuerit (13): Pro damnis, quae a-

lumbas vagantes occidere est licitum: Multam autem pecuniariam unusquisque ex sociis tenetur integram solvere, neque, ut ait *Ulpianus* „ quod alius praestitit, alium libe„ rat, cum sit poena „ in *leg. item Mela §. sed si plures ff. ad leg. Aquiliam.*

(13) *§. caeterum instit. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, et ibi *Harpprecht. n.* 15.: Ejusmodi animalia ad ostentandum ducere, ut Circulatores interdum solent, vetitum ex patrio Edicto 11. *Decembr.* 1779., et aliis.

nimalia caetera dederint, civilis actio de pauperie, sive noxalis Romano Iure conceditur (14), ita quidem, ut Dominus vel damnum sarciat, vel animal cedat (15) juxta ipsam Legem Decemviralem, quam refert *Gravina* (16), quamque a Graecis mutuatam *Soloni* tribuunt, qui nominatim de cane caverat (17), ideoque Solonia, vel Pesulania de cane dicebatur (18). Hodie autem generaliter id receptum est, ut damnum Dominus reparet, et, illo ignoto, animal decreto Iudicis vendatur sub hasta, ut ex pretio damnum passus indemnis fiat (19):

(14) Noxalis actio proprie in servos Romano Iure dabatur *leg.* 1. *ff. de noxalibus actionibus*, sed ob agendi modum etiam actio de pauperie noxalis dicta fuit *Heinecc. part.* 2. *pandect. lib.* 9. *tit.* 1. §. 173.: Pauperies, ut ait *Ulpianus*, est damnum sine injuria facientis datum, animalis nempe, quod sensu, idest ratione caret *leg.* 1. *ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*.

(15) Nulla tamen actio conceditur, si animal alterum laeserit animal, a quo provocatum fuerat *d. leg.* 1. §. *cum arietes*.

(16) *De orig. Iur. lib.* 2. *cap.* 53. „ Si quadru- „ pes pauperiem faxit, Dominus noxiae aesti- „ miam offerto; si nolit, quod noxit dato „

(17) *Plutarch. in vita Solonis*.

(18) *Gravin. de orig. Iur. lib.*3. *cap.* 110., *Voet. ad Pandect. lib.* 9. *tit.* 1. §. 6.

(19) *Angel. de delict. part.* 1. *cap.* 34. *n.* 8. 40., *Creman. d. artic.* 6. §. 8.

Si tamen animal, mansuetum utcunque, ab Homine immissum, vel concitatum, aut ex lata ejus culpa nocuerit, et ad damna, atque etiam ad poenam pro modo admissi teneri Hominem posse non est ambigendum (20).

CI. Simplicis damni dati poena ex Legibus nostris est pecuniaria; plerumque tamen sola reparatione contentus actionem civilem damnum passus exercet, quandoquidem privatum est crimen (21): Non aeque privatum crimen damnum illud est, quod in agri Volaterrani silvis committitur, quae ad salinam sunt reservatae (22); sicut nec illud, quod ex cultura soli, arboribus caesis, et ustis ad frumentum serendum ipso in vertice Hetrusci Apennini, maximum quidem subsequitur, pecuniaria nunc multa puniendum (23), severius olim coercitum (24).

(20) *Leg. idem juris §. mulionem, leg. item Mela §. item et cum eo ff. ad. leg. Aquiliam.*
(21) *Cod. Leopold. §. 87. et seq.*
(22) *Leg. 2. Decembr.* 1701.
(23) *Leg. 24. Octobr.* 1780.
(24) *Leg. 17. Novembr.* 1559., *Leg. 16. Februar.* 1564.; Vid. *Cantin. in illustrat.*, qui illud hinc notat, frondosam superbi Apennini comam

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Virgil.

imperio premere, ipsiusque intactam aratro cutem ingruentes remoratam imbres impedimento esse, quominus redundantium flumi-

CII. Ad damna porro privata, sive ad injuriam pecunia multandam (25), turbata possessio pertinet, quoties quocunque titulo turbator caruerit; non raro enim qui turbant id sibi licere intendunt, seu quod confinia non satis perspecta sint, sive aliis ex causis, quae tamen ad temeritatem non vergant. Nec autem de dolo dubitandum est, ubi antiqua, et pacifica possessio penes actorem probetur, aut Iudicis antecedens decretum, silente adversario, turbare vetuerit: Quod si turbator damnum insuper in satis, in fructibus, aut silvis dederit, de crimine hoc etiam cognoscere, accusatore legitimo instante, officium Iudicis erit.

eum subitus irrumpat impetus in nostram praesertim Aemiliam, quam rapidus Vitis bipartit.

(25) *Statut. Florent. lib.* 3. *rubric.* 146., ***Paolett.*** *instit. crim. lib.* 6. *tit.* 5.

FINIS LIBRI IV.